
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

DE

ANTIOCHI ASCALONITÆ

VITA ET DOCTRINA.

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI, HANC THESIM PROPONEBAT


CAROLUS CHAPPUIS,

JAM LICENCIATUS, OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS.

PARISIIS,

APUD DURAND BIBLIOPOLAM, VIA DICTA DES GRÈS, 5.

1854.



ARGENTORATI, EX TYPIS G. SILBERMANN.

PATRIS

MEMORIÆ.

C. CHAPPUIS.

DE

ANTIOCHI ASCALONITÆ

VITA ET DOCTRINA.

I.

ANTIOCHI VITA.

Utile, nec studiosa investigatione indignum, Academiæ illius quæ quatuor fere sæculorum spatium emensa est (quam diversa autem fortuna et quam mutatis sententiis!) ultimas vices inquirere, et, qualem exitum habuerit, enarrare; qua ratione, quo fœdere, non satis sibi constans, hinc cum Peripateticis Platoni olim inimicissimis, illinc cum Stoicis nuper Arcesilæ et Carneadi maxime infensis, ad pactionem venerit; qua denique virium defectione, in Eclecticam philosophiam dilapsa, tandem evanuerit.

Quintæ igitur Academiæ historiam aggredienti, commemoranda Antiochi, quem principem habuit, vita et undique colligenda est doctrina. Et quo clariori in luce res collocentur, quo melius perspicias quid apud spectatissimos ejusdem ætatis viros hominis ingenium nec non disciplina valuerint, mihi liceat inducere Nostrum, tot in philosophia et in litteris illustrium, tot consula-

rium, aliquando etiam triumphalium virorum celebritate stipatum, quorum contubernio et amicitia adeo fuit honestatus, ut, si quis tot eximios discipulos vellet submovere, maximam profecto gloriæ partem et magistro et quintæ Academiæ invideret.

Antiochus Ascalone natus est; unde fit ut Ascalonitæ cognomen vulgo retinuerit[1].

De natali ejus anno nihil quidem apud veteres comperimus : constat tamen ex Tullii testimonio eum, ante annum urbis 666, non solum diutius quam quemvis alium didicisse, sed et Philonis magistri sui sententiam scriptis per multos annos jam defensitavisse[2].

Philo ille Larissæus, ut de Antiochi magistro jam agamus, multos annos Clitomachi auditor fuerat[3], et, defuncto magistro, inter Academicos primas tenuit ideoque Academiæ princeps audiebat[4]; vir præclaro ingenio, si Varroni Ciceronique credendum est qui magnum eum dicere non dubitabant[5]; ita tamen ut non minus

[1] Strabo, XVI, p. 878; *de Ascalone*. — Stephan. Byzant. in Ἀσκαλών. — Plutarch., *Vit. Luc*, p. 520. — *Vit. Cic.*, p. 862. — *Vit. Bruti*, p. 984. — Ælianus, XII, c. 25.

[2] Quum philosophiæ operam haud profecto ante annum ætatis suæ vicesimum dederit, et Philonis discipulus viginti circiter annos fuerit (qui certe numerus Tullii testimonium perpendenti haud nimius esse videbitur), necesse est Antiochum non multo post annum 626 esse natum : neque tamen multo ante, quippe qui, plus quam sexagenarius, Luculli sub pellibus comes, pugnæ apud Tigranocertam (a. u. 685) adfuisset; quod in ætate tam provecta vix credibile est. Sit ergo Antiochus, non quidem certa ratione, probabili tamen conjectura a. u. 626 natus (Cn. Octavio et T. Annio Rufo coss. — Olymp., 163, 1. — Ante Christ. 128).

[3] *Acad.*, II, 6. — Plut., *Vit. Cic.*, p. 861. — Numen. ap. Eus. *Præp. ev.*, XIV, 9.

[4] *De Orat.*, III, 28. — *Brut.*, c. 89.

[5] *Acad.*, II, 4. — Cf. Stobæ, *Ecl. ethic.*

fide et iis animi dotibus quibus conciliantur homines, quam viribus ingenii præstaret[1].

Nova quædam commoverat; propius enim ad Platonis doctrinam accedebat et ad ejus auctoritatem legesque Academiam revocare conabatur; quum autem Arcesilam et Carneadem et Clitomachum ab illo dissensisse negaret, unam contendebat esse Academiam. Res quidem eas esse quæ natura cognoscantur affirmans, isto tamen modo, quo Stoici vellent, comprehendi negabat, et ita aliquid, non omnia concedens, pristinum scholæ contra Stoicos certamen retinuerat. Ea fuit quarta illa quæ apud quosdam dicitur Academia.

Philonis multos annos Antiochus fuit discipulus et scripsit de his rebus acutissime[2]; deinde magistri ipsius secutus exemplum, ut Philo Academicarum sententiarum integritatem læserat, ita Noster a Philonis sententia destitit et hæc accusavit quæ antea defensitaverat[3].

Censebat enim Antiochus duas exstitisse Academias[4], unam videlicet Platonis, quæ verum a falso dignosci posse vellet et quædam pro certis confirmaret: alteram vero ab Arcesila usque ad Philonem duravisse quæ «nihil percipi posse, nulli rei debere assentiri,» contenderet. Hanc autem impugnabat, illi consentiebat Noster: ita ut ad Platonis præcepta quibus quasi invitus et inscius magister appropinquaverat, discipulus aperte rediret; et, si Tullii verba usurpare licet, «in domum veterem

1 Plutarch., II.

2 *Acad.*, II, 22. — Cf. ib., c. 2, 4 et 19. — *Acad.*, I, 4 et alia Cic. opera, passim. — Numen. ap. Euseb. *Præp. ev.*, XIV, 9. — August., *Contra Acad.*, II, § 15; III, § 41.

3 *Acad.*, II, 22. — Cf. ib., 19. — Plutarch., *Vit. Luc.*, p. 519.

4 De ea Nostri cum Philone dissensione, v. *Acad.*, II, 4.

DE

ANTIOCHI ASCALONITÆ VITA ET DOCTRINA.

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI, HANC THESIM PROPONEBAT


CAROLUS CHAPPUIS,

JAM LICENCIATUS, OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS.

PARISIIS,

APUD DURAND BIBLIOPOLAM, VIA DICTA DES GRÈS, 5.

1854.



ARGENTORATI, EX TYPIS G. SILBERMANN.

PATRIS

MEMORIÆ.

C. CHAPPUIS.

DE

ANTIOCHI ASCALONITÆ
VITA ET DOCTRINA.

I.

ANTIOCHI VITA.

Utile, nec studiosa investigatione indignum, Academiæ illius quæ quatuor fere sæculorum spatium emensa est (quam diversa autem fortuna et quam mutatis sententiis!) ultimas vices inquirere, et, qualem exitum habuerit, enarrare; qua ratione, quo fœdere, non satis sibi constans, hinc cum Peripateticis Platoni olim inimicissimis, illinc cum Stoicis nuper Arcesilæ et Carneadi maxime infensis, ad pactionem venerit; qua denique virium defectione, in Eclecticam philosophiam dilapsa, tandem evanuerit.

Quintæ igitur Academiæ historiam aggredienti, commemoranda Antiochi, quem principem habuit, vita et undique colligenda est doctrina. Et quo clariori in luce res collocentur, quo melius perspicias quid apud spectatissimos ejusdem ætatis viros hominis ingenium nec non disciplina valuerint, mihi liceat inducere Nostrum, tot in philosophia et in litteris illustrium, tot consula-

rium, aliquando etiam triumphalium virorum celebritate stipatum, quorum contubernio et amicitia adeo fuit honestatus, ut, si quis tot eximios discipulos vellet submovere, maximam profecto gloriæ partem et magistro et quintæ Academiæ invideret.

Antiochus Ascalone natus est; unde fit ut Ascalonitæ cognomen vulgo retinuerit[1].

De natali ejus anno nihil quidem apud veteres comperimus : constat tamen ex Tullii testimonio eum, ante annum urbis 666, non solum diutius quam quemvis alium didicisse, sed et Philonis magistri sui sententiam scriptis per multos annos jam defensitavisse[2].

Philo ille Larissæus, ut de Antiochi magistro jam agamus, multos annos Clitomachi auditor fuerat[3], et, defuncto magistro, inter Academicos primas tenuit ideoque Academiæ princeps audiebat[4]; vir præclaro ingenio, si Varroni Ciceronique credendum est qui magnum eum dicere non dubitabant[5]; ita tamen ut non minus

[1] Strabo, XVI, p. 878; *de Ascalone*. — Stephan. Byzant. in Ἀσκαλών. — Plutarch., *Vit. Luc*, p. 520. — *Vit. Cic.*, p. 862. — *Vit. Bruti*, p. 984. — Ælianus, XII, c. 25.

[2] Quum philosophiæ operam haud profecto ante annum ætatis suæ vicesimum dederit, et Philonis discipulus viginti circiter annos fuerit (qui certe numerus Tullii testimonium perpendenti haud nimius esse videbitur), necesse est Antiochum non multo post annum 626 esse natum : neque tamen multo ante, quippe qui, plus quam sexagenarius, Luculli sub pellibus comes, pugnæ apud Tigranocertam (a. u. 685) adfuisset; quod in ætate tam provecta vix credibile est. Sit ergo Antiochus, non quidem certa ratione, probabili tamen conjectura a. u. 626 natus (Cn. Octavio et T. Annio Rufo coss. — Olymp., 163, 1. — Ante Christ. 128).

[3] *Acad.*, II, 6. — Plut., *Vit. Cic.*, p. 861. — Numen. ap. Eus. *Præp. ev.*, XIV, 9.

[4] *De Orat.*, III, 28. — *Brut.*, c. 89.

[5] *Acad.*, II, 4. — Cf. Stobæ, *Ecl. ethic.*

fide et iis animi dotibus quibus conciliantur homines, quam viribus ingenii præstaret[1].

Nova quædam commoverat; propius enim ad Platonis doctrinam accedebat et ad ejus auctoritatem legesque Academiam revocare conabatur; quum autem Arcesilam et Carneadem et Clitomachum ab illo dissensisse negaret, unam contendebat esse Academiam. Res quidem eas esse quæ natura cognoscantur affirmans, isto tamen modo, quo Stoici vellent, comprehendi negabat, et ita aliquid, non omnia concedens, pristinum scholæ contra Stoicos certamen retinuerat. Ea fuit quarta illa quæ apud quosdam dicitur Academia.

Philonis multos annos Antiochus fuit discipulus et scripsit de his rebus acutissime[2]; deinde magistri ipsius secutus exemplum, ut Philo Academicarum sententiarum integritatem læserat, ita Noster a Philonis sententia destitit et hæc accusavit quæ antea defensitaverat[3].

Censebat enim Antiochus duas exstitisse Academias[4], unam videlicet Platonis, quæ verum a falso dignosci posse vellet et quædam pro certis confirmaret: alteram vero ab Arcesila usque ad Philonem duravisse quæ «nihil percipi posse, nulli rei debere assentiri,» contenderet. Hanc autem impugnabat, illi consentiebat Noster: ita ut ad Platonis præcepta quibus quasi invitus et inscius magister appropinquaverat, discipulus aperte rediret; et, si Tullii verba usurpare licet, «in domum veterem

[1] Plutarch., 11.

[2] *Acad.*, II, 22. — Cf. ib., c. 2, 4 et 19. — *Acad.*, I, 4 et alia Cic. opera, passim. — Numen. ap. Euseb. *Præp. ev.*, XIV, 9. — August., *Contra Acad.*, II, § 15; III, § 41.

[3] *Acad.*, II, 22. — Cf. ib., 19. — Plutarch., *Vit. Luc.*, p. 519.

[4] De ea Nostri cum Philone dissensione, v. *Acad.*, II, 4.

e nova remigraret[1].» Ideo non miremur illum a Cicerone contra novos Academicos disputantem induci[2], et cum discipulis suis ab eodem et a Plutarcho et ab Augustino veteri Academiæ semper adscribi[3].

Antiochus autem in Stoicos, jampridem cum Academicis acerrime dimicare solitos, propensior esse videbatur. Satis enim et Antiochi sententiis et veterum testimoniis illum constat Stoicis propiora sensisse, eorum adstipulatorem fuisse et in ipsa Academia germanissimum pene Stoicum. Nec quidem Philonis solum, sed etiam Mnesarchi Stoici eum auditorem ac discipulum fuisse, a quibusdam traditur[4].

Inde apparet duas Antiochum inter et novos Academicos fuisse dissensiones : unam quod, recepta comprehensione et servato scientiæ fundamento, rediret ad Platonem et ejus nomine Academicos novos impugnaret; alteram quod, ex veteri Academia Stoicos pendere arbitratus, Stoicorum causam susciperet quorum nomine rursus eosdem aggrederetur.

Ita quinta, Antiocho duce et principe, exstitit Acade-

1 *Acad.*, I, 4; cf. ib., II, 22. «Veterem Academiam revocavit....... veterum Academicorum umbram secutus est.»

2 Acad., II, 4.

3 Cic. Opera, passim. — Plutarch., *Vit. Luc.*, p, 519. — *Vit. Bruti*, p. 984. — August., *Contra Acad.*, II, § 15; III, § 40. — De Varrone, Lucullo, Pisone et Bruto, Antiochi et Aristi discipulis, Academiam veterem renovare tentantibus, suo loco agetur.

4 Vide Numenium fide non satis dignum (ap. Euseb., *Præp. ev.*, XIV, c. 9), et Augustinum (*Contra Acad.*, III, § 41). — Tullius vero, quanquam de Mnesarcho haud semel mentionem habuit et sæpius Antiochum pene Stoicum esse dixit, nusquam tamen eum Mnesarchi auditorem fuisse refert; imo id negare videtur, quum, inconstantiam Antiochi increpans, quærit cur non aperte a Philone desciverit, et Mnesarchi scholam frequentaverit; et testatur eum non a Philone discessisse, nisi posteaquam ipse cœpit qui se audirent habere (*Acad* , II, 22).

mia, quæ tum Platonicæ disciplinæ, subtilius perspectæ, tum Stoicorum sectæ, vocatæ tandem ad pacem, sententias in usum suum verteret[1].

Quomodo quibusque de causis sententiam adeo mutaverit Antiochus haud facile dispicies, quem Philonis vestigia antea secutum esse undique accipimus. Legimus quidem apud Ciceronem : « Quamvis Antiochus fuerit « acutus, ut fuit, tamen inconstantia levatur auctori- « tas... Nunquam a Philone discessit, nisi posteaquam « ipse cœpit, qui se audirent, haberc. Unde autem su- « bito vetus Academia revocata est? Nominis dignitatem « videtur, quum a re ipsa descisceret, retinere voluisse : « quod erant qui illum gloriæ causa facerent sperare, « etiam fore, ut ii, qui se sequerentur, Antiochii voca- « rentur[2].» Verum meminisse oportet hæc in libro adversus Antiochum scripto contineri, ubi Cicero Academiæ novæ defensor quasi alteram *Pro Domo sua* orationem habere videretur[3]. Quod quidem si animadversum fuisset, gloriæ ambitionisque minus fortasse Noster suspectus foret neque ei Plutarchus et Augustinus illa crimina intendissent[4]. Quum autem, Nostro magis propitia referens, idem tradit Plutarchus Antiochum evidentia forsan et sensibus victum fuisse, facilius et libentius huic accedimus sententiæ; et Antiochum nonnisi veritatis amore et philosophicæ doctrinæ studio adductum fuisse ut a Philone discederet, asseveramus.

Quo autem tempore, disciplina magistri palam re-

[1] De quarta et quinta Academia, v. Sext. Emp., *Hyp. Pyrrh.*, I, c. 33, § 220. — Numen., ap. Euseb., *Præp. ev.*, XIV, c. 4 et 9. — Ps. Galen., *De hist. phil.*, c. 2.

[2] *Acad.*, II, 22; cf. ib., c. 19.

[3] Plutarch., *Vit. Luc*, p. 519. — August., *Contra Acad*, III, § 41.

[4] Plutarch., *Vit Cic.*, p. 862. — August., *Contra Acad.*, II, § 15.

jecta, Antiochus, ad Stoicos jam respiciens, novæ sectæ auctor fuerit, quo tempore recentior illa exstiterit Academia, ex ipso Tullii testimonio ea narrantis quæ Antiochus, quum Lucullus Alexandriæ quæstor esset, disputaverat, satis compertum habebimus.

Antiochi discipulos, amicos et patronos recensere aggredienti, primus eximio e grege occurrit L. Licinius Lucullus cui multum profuisse Antiochum commemorat Ælianus[1]. Eumdem Plutarchus refert omne quidem philosophiæ genus amasse et quasi familiare habuisse, Academiam vero ab ineunte ætate præcipuo studio amplexum esse, non eam quam novam vocabant, sed veterem illam quæ acrem antistitem et facundum habebat Ascaloniten Antiochum; quem quum omni studio amicum paravisset et convictorem, Lucullus contrariam Philonis auditoribus causam suscepit[2].

Eadem Cicero multo copiosius memorat, qui in procemio *Luculli,* postquam « magnum ingenium L. Luculli magnumque optimarum artium studium » laudavit, hæc adjicit : « Majore enim studio Lucullus quum omni « litterarum generi, tum philosophiæ deditus fuit, quam, « qui illum ignorabant, arbitrabantur. Nec vero ineunte « ætate solum, sed et pro quæstore aliquot annos, et in « ipso bello... Quum autem e philosophis ingenio scien- « tiaque putaretur Antiochus, Philonis auditor, excel- « lere, eum secum quæstor habuit...[3] »

Quamobrem in priori *Academicorum* editione Lucullus Antiochi rationem defendebat; atque ita a principio

1 Ælian., *Var. hist.*, XII, c. 25.
2 Plut., *Vit. Luc.*, p. 519.
3 *Acad.*, II, 2.

loquebatur : « Agam sicut Antiochus agebat. Nota enim « mihi res est. Nam et vacuo animo illum audiebam, et « magno studio, eadem de re etiam sæpius.... Quum « Alexandriæ pro quæstore essem, fuit Antiochus me- « cum[1]. »

Lucullus autem in Asiam quæstor profectus est anno u. c. 666; circa finem sequentis anni, a Sylla, qui Athenas obsidebat, Rhodum missus est, in Cretam, in Ægyptum ad cogendam classem[2]; ita ut anno 668 Alexandriæ cum Antiocho esset.

Verisimile est vix auspicato magistratum Lucullo Antiochum contubernalem fuisse : etenim eo ipso anno quo Lucullus in Asiam advenit, « Sulla consule et Pompeio, « Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico « bello domo profugerat Romamque venerat[3], » et conjici potest, Antiochum ipsum eodem tempore Athenis aufugisse Lucullique tutelam poposcisse.

Quum Alexandriam venit Antiochus, a magistri ratione jam desciverat : argumentum enim quoddam refert Cicero quod Antiochus Philoni sese opposuisse narrabat, ita ut hac reprehensione is soleret maxime perturbari[4]. Quod ante annum 666 evenisse necesse est, quum nunquam posthac Antiocho Philo occurrere profecto potuerit. Sed tempus venerat quo contentio acrior fieret. Quomodo domestica discordia in certamen publicum transierit in incipienti Lucullo Cicero memorat.[5]

Erat jam antea Alexandriæ familiaris Antiochi, Hera-

[1] *Acad.*, II, 4; cf. ib., 19.
[2] Plut., *Vit. Luc.*, p. 492. — V. Clintonis, *Fast. hell.*, t. III, p. 147.
[3] Cic., *Brut.*, c. 89.
[4] *Acad.*, II, 34.
[5] *Acad.*, II, 4.

clitus Tyrius, qui quum multos annos Clitomachum et Philonem audivisset, eorum doctrinæ fidelis interpres ac defensor, novæ Academiæ causam agebat. Sed veteri jam consuetudine cum Antiocho devinctus, nonnisi leniter contra eum disputabat; ut satis appareret quanquam inter dissentientes integram remansisse amicitiam.

«Libri duo Philonis tum erant allati Alexandriam «tumque primum in Antiochi manus venerant; et homo «natura lenissimus (nihil enim poterat fieri illo mitius) «stomachari tamen cœpit..... Heracliti memoriam im«plorans, quærere ex eo viderenturne illa Philonis, aut «ea num vel e Philone, vel ex ullo Academico audivis«set aliquando? Negabat; Philonis tamen scriptum «agnoscebat; neque id quidem dubitari poterat. Nam «aderant Luculli familiares, docti homines P. et C. Selii, «et Tetrilius Rogus; qui se illa audisse Romæ de Phi«lone, et ab eo ipso duos illos libros dicerent descrip«sisse.»

Tum mediam et novam Academiam, tum Philonem vehementer impugnavit Antiochus; et Lucullus, «quum «Heraclitum studiose audiret contra Antiochum disse«rentem, et item Antiochum contra Academicos, dedit «Antiocho operam diligentius, et multum temporis in «ista una disputatione consumpsit, adhibito Heraclito «doctisque compluribus;» inter quos eminebant Antiochi frater Aristus, de quo suo loco plura sumus dicturi, Aristo Peripateticus et Dio Academicus «quibus «ille secundum fratrem plurimum tribuebat[1].»

[1] Aristo ille fuit cujus mentionem fecerunt veteres, Peripateticus, Alexandria ortus. Laërt. VII, 163, 164. — Apul. et Simpl. in adnot. Menag. ad Laërt. — Alexandrinus autem Dio vulgo Academicus appellatur, nec dubium est quin Heracliti aut Antiochi discipulus fuerit, et sæpius magno quidem

Ne illud quidem satis habuit Antiochus, « nec se te« nuit, quin contra suum doctorem librum etiam ede« ret, qui *Sosus* inscribitur. » Sosus autem, Ascalonites philosophus, inter Stoicos numerabatur[1]; cujus quum persona uteretur Antiochus, satis apparebat eum non tantum ab Academicis desciscere, sed etiam, contraria pene sentientem, in partes Stoicorum et civis sui transire.

« Sed Antiocho, arreptis iterum illis armis, Philo res« titit donec moreretur[2]; » et « Philone vivo, ut ait Tul« lius, patrocinium Academiæ non defuit[3]. »

Antiochum autem posthac magistro suo adversantem et novæ principem Academiæ, cum Lucullo, quamdiu externum ac civile bellum duravit, remansisse verisimile est. Lucullus autem « per multos annos admirabili « laude provinciæ præfuit, » nec ante annum 674 Romam rediit[4]. Tum videtur Antiochus ab eo discessisse Athenisque domicilium sibi constituisse, ita tamen ut Lucullum postea in bello Mithridatico comitatus fuerit.

Dum anno sequenti Lucullus ædilitate fungebatur, Cicero Athenas migravit ubi Antiochum audiit.

Non mediocrem a primo tempore ætatis in philosophiæ studio operam curamqne Cicero consumpserat,

studio utrumque audiverit. Hunc ipsius mortis indignum genus ab oblivione servavit; nam abhinc triginta annis princeps legationis Ptolemæum Auleten accusaturæ ab Alexandrinis Romam missus, ipsa in hospitis sui, L. Lucceii, domo trudicatus est, a. u. 697. *Acad.*, II, 4. — *Pro Cœlio*, c. 10, 21, 22. — Strabo, XVII, p. 923.

1 Stephan. Byzant. in Ἀσκαλών.

2 August., *Contra Acad*, III, c. 18, § 40

3 Cic., *Acad.*, II, 6.

4 Pighii, *Annal. rom*, ad annum 673.

et nullius disciplinæ, quæ in honore esset, ignarus erat[1]; sed Philo ad eum doctrina informandum maxime valuerat[2]: totum enim ei se tradiderat Cicero, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus et rerum ipsarum varietate et magnitudine retentus[3]. Eodem Philone adjuvante, sed imprimis docente Molone Rhodio, oratoriæ artis præceptis se instruxerat, jam commentarios rhetoricos *De Inventione* ediderat, jam pro Quintio dixerat et Sext. Roscium, parricidii reum, summa cum laude, defenderat. Igitur quum Roma abiit æstate anni 675, ita innotuerat, ut nullum prope gloriæ genus ei deesse videretur.

[1] *De Nat. Deor.*, I, 3. — Phædrum Epicureum valde ut philosophum probaverat (*Ad Div.*, XIII, ep. 1); adolescens apud Varronis magistrum, L. Ælium, fuerat, qui Stoicus esse volebat (*Brutus*, c. 56); quum triennium fere fuit urbs sine armis noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabatur (*Brutus*, c. 90; annis 668—670), et erat cum Stoico Diodoto quem maxime admirabatur et diligebat suaque in domo ex eo tempore usque ad illius mortem retinuit (*Brutus*, 90. — *Acad.* II, 36. — *De Nat. Deor.*, I, 3. — *Tusc.*, V, 39. — *Ad Div.*, IX, ep. 4; XIII, ep. 16. — *Ad Attic.*, II, ep. 20. — Auctor dial. *De Orat.*, c. 30); admodum etiam juvenis Staseam Neapolitanum audiverat, Pisonis magistrum, nobilem, ut ait, Peripateticum (*De Fin.*, V, 25. Staseas apud Pisonem jam illo tempore erat quo Dialogum *De Oratore* habitum esse fingit Cicero, Philippo cos. a. 663. *De Orat.* I, 22).

[2] Philo quum Mithridatico bello, Sylla et Pompeio coss. a. 666, Romam profugisset, P. et C. Selium et Tetrilium Rogum, de quibus jam mentio facta est, C. Aurel. Cottam pontificem (*De Nat. Deor.*, I, 7, 21 et passim), Q. Catulum (*Acad.*, II, 4, 6, 48) et complures alios Romæ auditores habuit; ibi duos libros edidit quos, Alexandriam allatos, in Antiochi manus venisse a. 668 jam retulimus, et alios forsitan quosdam adversus *Sosum* rescriptos. Patria autem egressus, domum nunquam reversus est (*Tusc.*, V, 37); unde facile conjici potest eum Romæ mortuum esse, nempe ante annum quo Cicero ad audiendum Antiochum Athenas profectus est; ita ut eum a. 670 obiisse equidem existimaverim.

[3] *Brutus*, c. 89. — De Ciceronis Philonis auditore, v. *De Nat. Deor.*, I, 3 et 7. — *Tusc.* II, 3 et 11. — *Acad.* I, 4; II, 6. — *Ad Div.*, XIII, ep. 11. — Auctor dial. *De Orat.*, c. 30. — Plut., *Vit. Cic.*, p. 861.

« Cum venissem Athenas, ait ipse, sex menses cum « Antiocho, veteris Academiæ nobilissimo et prudentis- « simo philosopho, fui, studiumque philosophiæ nun- « quam intermissum, a primaque adolescentia cultum, « et semper auctum, hoc rursus summo auctore et doc- « tore renovavi[1].» Atque ideo Antiocho semper inter eos a quibus institutus erat honestum locum tribuit, eumdem *familiarem* suum dictitat testarique solet quanti eum faciat: « Vir iste, ait, fuit ille quidem prudens et acutus et in suo genere perfectus. — Amavi hominem sicut ille me, quem judico politissimum et acutissimum omnium nostræ memoriæ philosophorum. — Illum quidem ego semper dilexi, meque ab eo diligi sensi[2].»

Præcipue tamen hic commemorandum est libri quinti *De Finibus* proœmium illud, in quo Cicero ipse narrat se et Athenis commoratum esse, et solitum audire quotidie Antiochum in eo gymnasio, quod Ptolemæum vocabatur. Jam enim hortos illos non sine causa nobilitatos, sed septimo ante anno a Sylla, ut videtur, vastatos, Academici deseruerant; et in postmeridiana illa ambulatione, Cicero et amici ejus non Academiam invisunt ut magistros disceptantes audiant, sed ut summorum virorum quibus Academia floruit recordatione delectentur. In his spatiis omni turba vacuis, in illa solitudine, venit illis Platonis in mentem, et Speusippi et Xenocratis et Polemonis; ipse autem Cicero his ipsis locis ad altiorem memoriam novæ illius Academiæ

[1] *Brutus*, c. 91.

[2] De Cicerone Antiochi discipulo et familiari vide : *Acad.*, I, 4 et 12; II, 30, 35, 46. — *De Nat. Deor.*, I, 3. — *De Fin.*, V, 1, 25 et 27. — *De Leg.*, I, 21. — *Tusc.*, V, 8 et 10; III, 25. — *Frag. ep.*, ad C. Pansam. — Cf. *Paradox. Proœm.* — Plut., *Vit. Cic.*, p 862. — Aur. Vict., *De Vir. ill.*, c. 81.

cujus patrocinium suscepit commovetur : « Etsi multa « in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia « summorum virorum, tamen ego illa moveor exedra. « Modo enim fuit Charmadas : quem videre videor (est « enim nota imago), a sedeque ipsa, tanti ingenii magni- « tudine orbata, desiderari illam vocem puto.»

Non equidem Philonis discipulum, et novæ Academiæ quasi hæredem, Ciceronem inter fideles Antiochi discipulos numerandum esse censeo; obstant enim et veterum testimonia [1] et ipsius Ciceronis opera ubi toties Antiochum impugnavit. Attamen dubitari non potest quin ab illa Antiochi semestri auditione multum traxerit : quod suo loco perpendere operæ pretium erit.

Quum autem nuntiatum esset Syllam vita functum esse (a. u. 676), per preces et litteras amici flagitabant a Cicerone ut Romam rediret, et, si Plutarcho fidem adhibemus, Antiochus imprimis illum hortabatur ut ad res publicas accederet [2]. Tullius autem ne quid neglectum intentatumque relinqueret ex his rebus quibus perfectus efficitur et constat orator, totam Asiam peragravit cum summis oratoribus, Rhodi ad eumdem quem Romæ noverat, Molonem se applicavit, Posidonium longe Stoicorum hujus ætatis principem audivit, et « se recepit biennio post (a. u. 677), ut ipse ait, non modo exercitatior, sed prope mutatus [3].»

Nonnullos Ciceronis amicos eodem anno 675 una cum illo Athenis adfuisse Antiochumque audivisse, ipse in incipienti quinto *De Finibus* libro testatur.

[1] Plut., *Vit. Cic.*, p. 862. — *Vit. Luc.*, p. 519. — August.. *Contra Acad.*, III, § 41.

[2] Plut., *Vit. Cic.*, p. 862.

[3] *Brutus*, c. 91.

Ab Attico incipiam, qui in *Academicis posterioribus,* jam Varrone Antiochi placita relaturo : « Quid est quod malim, ait, quam ab Antiocho jampridem audita recordari[1]?» Hunc Antiochi auditorem et amicum fuisse, non tamen discipulum; hunc philosopho multum debuisse satis apparet ex ipsius ad Ciceronem verbis: « Ergo assentiris Antiocho familiari meo (magistro enim « non audeo dicere) quocum vixi, et qui me ex nostris « pene convellit hortulis deduxitque in Academiam per- « pauculis passibus[2].»

Aderant Q. Cicero, Tullii frater, et L. Cicero, ejus patruelis, admodum adolescens et oratoriæ arti præcipue deditus; in philosophia etiam non mediocriter versatus, ad Charmadam et mediam Academiam rapitur; « revocatur autem ab Antiocho, nec est præterea quem audiat;» idcirco « Antiochum satis belle videtur attendere » et ejus valde probat sententiam[3].

Nunc denique de illo agetur qui in hac quam diximus postmeridiana ambulatione præcipuas partes agit, id est de Pisone illo, qui a M. Pupio adoptatus, M. Pupius Piso Calpurnianus vocatus est[4].

Staseam Neapolitanum, Peripateticum philosophum, summo hominem ingenio, Piso adolescens multos annos habuerat apud se[5]; nunc Athenis Antiochum au-

[1] *Acad.*, I, 4.

[2] *De Leg.*, I, 21. — Cf. ib., III, init.

[3] *De Fin.*, V, 2 et 26.

[4] Oratoriam artem meditatus, Piso non sine laude causas oraverat, annis 668—670 (*Brut.*, c. 90), atque ideo, juvenis admodum ad honores provectus, quæstor in Italia fuerat, a. 671; deinde tribunus fuit plebis, a. 676, 677; ædilis, a. 679; prætor ex Hispanis triumphavit, a. 685; consul fuit, a. 693.

[5] De Stasea Pisonis doctore, *De Fin.* I, 25; V, 3; — *De Orat.*, I, 22.— Staseas apud Censorinum citatur, c. 14. — Cicero ad Pisonem, quod multæ

diebat[1] et Antiochi discipulum hunc satis agnoscere queas qui maxime inter omnes movetur hæc loca videns, ubi Academici veteres sunt disputare soliti, qui Platonis memoriam et Speusippi et Xenocratis et Polemonis implorans conversusque ad Ciceronem: « audebo te, ait, ab hac Academia nova ad veterem illam vocare[2]. »

Non igitur immerito in quinto *De Finibus* libro et Academiæ veteris et Peripateticorum sententiam expositurus inducitur Piso: « Censemus te, ait Cicero, facil« lime id explanare posse, quod et Staseam Neapolita« num multos annos habueris apud te, et complures « jam menses Athenis hæc ipsa te ex Antiocho videmus « exquirere[3]. » Quod si quis eum ut parum sibi constantem improbare velit, posteriorem magistrum auctorem proferre poterit, qui Peripateticam hanc disciplinam qua imbutus a prima ætate Piso erat, non modo non impugnabat, sed etiam quasi cum Academiæ veteris doctrina consentientem accipiebat et ad fontem revocatam interpretabatur; ita ut Piso integram servans Staseæ sententiam, Nostro tamen se totum traderet et hunc melius et fortius dicentem pluris faceret[4].

Non diu, postquam profectus esset Cicero, Athenis

in eo erant litteræ, a patre deductus (*Brut.*, c. 90. — Ps. Sallust., *in T. Cic. declam.* — Asconius), cum illo multum latine, græce sæpius declamitans erat commentatus et apud eum Staseam audiverat (*De Fin.*, V, 25).

[1] *De Fin.*, V, 3. — De Pisone Antiochi discipulo, ib., c. 1, 5, 6, 25, 27.

[2] *De Fin.*, V, 3.

[3] *De Fin.*, V, 3. — Staseæ discipulus, Ἀριϛοτέλειον morem sequitur et περιπατητικὰ tuetur Piso (*Ad Att.*, XIII, ep. 19. — *De Nat. Deor.*, I, 7); altera ex parte Antiochi sententiam ejus oratio complectitur (*De Fin.*, V, 3).

[4] *De Fin.*, V, 25 et 27.

Pisonem commoratum esse constat, quum sequenti anno Romæ tribunatu fungi debuerit.

Illi quidem erant Athenis Ciceronis familiares et cum illo Antiochi auditores. Non autem omnes recensuimus Romanorum electissimos quibus cum Antiocho aut amico aut magistro usus fuit.

Quorum e numero ecce Terentius ipse Varro occurrit, *doctissimus Romanorum*, nobilior profecto vir quam ut ejus memoriæ in hoc scripto consulamus.

Apud eum quidem, quum L. Ælium Stoicum a primo tempore ætatis magistrum habuisset[1], multum valuisse videtur Stoicorum auctoritas, non tamen ut Philonem audire[2], aut Antiochum nostrum omitteret.

Cicero et Augustinus memorant Varronem Antiochi familiarem et auditorem fuisse, ejusque secutum esse sententiam[3]. Idcirco Cicero in *Academicis posterioribus*, quum nulla aptior persona videretur ad id philosophiæ genus, quæ erant contra *ἀκαταληψίαν* præclare collecta ab Antiocho Varroni dabat, *Ἀντιοχείαν* rationem et totam Academicam *σύνταξιν* ad Varronem hæc valde probantem, his maxime delectatum transducebat[4]; quum illi hanc alteram *Academicorum* editionem, commotus Attici litteris, dicaret et mitteret: «Tibi dedi, aiebat, partes Antiochenas, quas a te probari intellexisse mihi videbar[5].»

Quantum Varroni profuerit Antiochus, quam magistri

[1] De Ælio Varronis magistro, v. *Acad.*, I, 2. — *Brut.*, c. 56. — Aul. Gell. I, c, 18; XVI, c 8. — Sæpissime citabatur Ælius in libris Varronis *De lingua latina.*

[2] *Acad.*, I, 1 et 4.

[3] *Acad.*, I, 3, 4, 9, 12. — August., *Civ. Dei*, XIX, c. 3.

[4] *Ad Att.*, XIII, ep. 12, 13, 16 et 19.

[5] *Ad Div.*, IX, ep. 8.

doctrinam discipulus retinuerit, alio loco perpendere tentabimus. Ne miremur autem quod L. Ælii discipulus e Zenone simul et ex Antiocho pendet[1] veteremque Academiam a Cicerone jam relictam tentat renovare[2]. Antiochus enim, ut supra diximus, pro consueta philosophandi ratione, sectarum lites componere malebat quam persequi, et nihil antiquius habebat quam ut dissidentes in concordiam redigeret; atque ita illum audientibus Stoicorum doctrina cum veteris Academiæ disciplina mirum in modum consentire, et hujus correctio potius quam aliqua nova disciplina esse videbatur.

Quum liber quidam Antiochi ab eo missus sit ad Q. Lucilium Balbum[3], Balbus inter Antiochi auditores et amicos referendus est, non tamen inter discipulos; mirabatur enim Antiochum «hominem in primis acutum «non vidisse interesse plurimum inter Stoicos et Peripa-«teticos[4],» et «tantos progressus habebat in Stoicis ut «cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur[5];» unde fit ut Cicero in libris *De Natura Deorum* ei causam Stoicorum tuendam tradiderit.

His denique adjiciendum est C. Vibii Pansæ nomen, quem tradit Cicero «de Antiocho fecisse humaniter[6].»

Quo tempore Varro, Balbus et Pansa Antiochum adierint, incertum est. Satis autem constat hunc paucos annos Athenis remansisse.

[1] *Acad.*, I, 2.

[2] *Acad* , I, 4.

[3] *De Nat. Deor.*, I, c. 7. Anno, ut videtur, 676 aut 677.

[4] Ib.

[5] Ib , c. 6.

[6] *Ad C. Pansam*, ep. fragm. — Hic ille est, Pansa qui consul in Mutinensi pugna mortuus est a. 711.

Lucullus, diuturna quæstura in Asia functus Romamque reversus (a. 674), celeriter ad summos honores pervenit; postquam consulatum gessit (a. 680), anno sequenti ad Mithridaticum bellum a senatu missus est. Tunc, ut antea quæstor, sic post aliquot annos in Syria imperator, Antiochum habuit secum[1], et verisimillimum est, quum Lucullus Tigranocertæ Tigranem fudit (anno 685, pridie nonas decembris), huic prœlio Nostrum adfuisse, quod memorans exclamabat « nunquam tali solem illuxisse victoriæ[2]. »

Non diu post illud prœlium vixit Antiochus, qui quando et ubi mortuus sit, non satis compertum est: Cicero tamen illum memorat, ea quæ a Lucullo exponuntur, «asseverantius in Syria disputavisse, paulo ante quam sit mortuus[3],» et «patria semel egressum domum nunquam revertisse[4].» Quibus rebus impellimur ad credendum eum vita decessisse priusquam Lucullus, amissa imperatoria potestate, ab Asia Romam redierit (a. u. 688); et quum constet Antiochum post annum 685 librum *περὶ Θεῶν* scripsisse, ubi de Tigranocertina pugna mentionem fecit, profecto non multum a vero aberimus affirmantes eum anno 687 (ante Chr. 67, Ol. 178, 2) esse mortuum[5].

Aristum fratrem ejus multi quidem philosophi inge-

[1] *Acad.*, II, 2 et 19.

[2] Plut., *Vit. Luc.*, p. 511 : Ταύτης τῆς μάχης ὁ Ἀντίοχος ὁ φιλόσοφος ἐν τῇ περὶ Θεῶν γραφῇ μνησθεὶς οὔ φησιν ἄλλην ἐφεωρακέναι τοιαύτην τὸν ἥλιον. — Cf. Suidam, voc. Lucullus.

[3] *Acad.*, II, 19.

[4] *Tusc.*, V, 37.

[5] Itaque in *prioribus Academicis* quæ paulo post reditum Luculli et circa annum 693 agi videntur, Lucullus de morte Antiochi loquitur.

et nullius disciplinæ, quæ in honore esset, ignarus erat[1]; sed Philo ad eum doctrina informandum maxime valuerat[2]: totum enim ei se tradiderat Cicero, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus et rerum ipsarum varietate et magnitudine retentus[3]. Eodem Philone adjuvante, sed imprimis docente Molone Rhodio, oratoriæ artis præceptis se instruxerat, jam commentarios rhetoricos *De Inventione* ediderat, jam pro Quintio dixerat et Sext. Roscium, parricidii reum, summa cum laude, defenderat. Igitur quum Roma abiit æstate anni 675, ita innotuerat, ut nullum prope gloriæ genus ei deesse videretur.

[1] *De Nat. Deor.*, I, 3. — Phædrum Epicureum valde ut philosophum probaverat (*Ad Div.*, XIII, ep. 1); adolescens apud Varronis magistrum, L. Ælium, fuerat, qui Stoicus esse volebat (*Brutus*, c. 56); quum triennium fere fuit urbs sine armis noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabatur (*Brutus*, c. 90; annis 668—670), et erat cum Stoico Diodoto quem maxime admirabatur et diligebat suaque in domo ex eo tempore usque ad illius mortem retinuit (*Brutus*, 90. — *Acad.* II, 36. — *De Nat. Deor.*, I, 3. — *Tusc.*, V, 39. — *Ad Div.*, IX, ep. 4; XIII, ep. 16. — *Ad Attic.*, II, ep. 20. — Auctor dial. *De Orat.*, c. 30); admodum etiam juvenis Staseam Neapolitanum audiverat, Pisonis magistrum, nobilem, ut ait, Peripateticum (*De Fin.*, V, 25. Staseas apud Pisonem jam illo tempore erat quo Dialogum *De Oratore* habitum esse fingit Cicero, Philippo cos. a. 663. *De Orat.* I, 22).

[2] Philo quum Mithridatico bello, Sylla et Pompeio coss. a. 666, Romam profugisset, P. et C. Selium et Tetrilium Rogum, de quibus jam mentio facta est, C. Aurel. Cottam pontificem (*De Nat. Deor.*, I, 7, 21 et passim), Q. Catulum (*Acad.*, II, 4, 6, 48) et complures alios Romæ auditores habuit; ibi duos libros edidit quos, Alexandriam allatos, in Antiochi manus venisse a. 668 jam retulimus, et alios forsitan quosdam adversus *Sosum* rescriptos. Patria autem egressus, domum nunquam reversus est (*Tusc.*, V, 37); unde facile conjici potest eum Romæ mortuum esse, nempe ante annum quo Cicero ad audiendum Antiochum Athenas profectus est; ita ut eum a. 670 obiisse equidem existimaverim.

[3] *Brutus*, c. 89. — De Ciceronis Philonis auditore, v. *De Nat. Deor.*, I, 3 et 7. — *Tusc.* II, 3 et 11. — *Acad.* I, 4; II, 6. — *Ad Div.*, XIII, ep. 11. — Auctor dial. *De Orat.*, c. 30. — Plut., *Vit. Cic.*, p. 861.

« Cum venissem Athenas, ait ipse, sex menses cum « Antiocho, veteris Academiæ nobilissimo et prudentis- « simo philosopho, fui, studiumque philosophiæ nun- « quam intermissum, a primaque adolescentia cultum, « et semper auctum, hoc rursus summo auctore et doc- « tore renovavi [1].» Atque ideo Antiocho semper inter eos a quibus institutus erat honestum locum tribuit, eumdem *familiarem* suum dictitat testarique solet quanti eum faciat: « Vir iste, ait, fuit ille quidem prudens et acutus et in suo genere perfectus. — Amavi hominem sicut ille me, quem judico politissimum et acutissimum omnium nostræ memoriæ philosophorum. — Illum quidem ego semper dilexi, meque ab eo diligi sensi [2].»

Præcipue tamen hic commemorandum est libri quinti *De Finibus* procemium illud, in quo Cicero ipse narrat se et Athenis commoratum esse, et solitum audire quotidie Antiochum in eo gymnasio, quod Ptolemæum vocabatur. Jam enim hortos illos non sine causa nobilitatos, sed septimo ante anno a Sylla, ut videtur, vastatos, Academici deseruerant; et in postmeridiana illa ambulatione, Cicero et amici ejus non Academiam invisunt ut magistros disceptantes audiant, sed ut summorum virorum quibus Academia floruit recordatione delectentur. In his spatiis omni turba vacuis, in illa solitudine, venit illis Platonis in mentem, et Speusippi et Xenocratis et Polemonis; ipse autem Cicero his ipsis locis ad altiorem memoriam novæ illius Academiæ

[1] *Brutus*, c. 91.

[2] De Cicerone Antiochi discipulo et familiari vide: *Acad.*, I, 4 et 12; II, 30, 35, 46. — *De Nat. Deor.*, I, 3. — *De Fin.*, V, 1, 25 et 27. — *De Leg.*, I, 21. — *Tusc.*, V, 8 et 10; III, 25. — *Frag. ep.*, ad C. Pansam. — Cf. *Paradox. Proœm.* — Plut., *Vit. Cic.*, p 862. — Aur. Vict., *De Vir. ill.*, c. 81.

cujus patrocinium suscepit commovetur : « Etsi multa « in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia « summorum virorum, tamen ego illa moveor exedra. « Modo enim fuit Charmadas : quem videre videor (est « enim nota imago), a sedeque ipsa, tanti ingenii magni- « tudine orbata, desiderari illam vocem puto. »

Non equidem Philonis discipulum, et novæ Academiæ quasi hæredem, Ciceronem inter fideles Antiochi discipulos numerandum esse censeo; obstant enim et veterum testimonia [1] et ipsius Ciceronis opera ubi toties Antiochum impugnavit. Attamen dubitari non potest quin ab illa Antiochi semestri auditione multum traxerit : quod suo loco perpendere operæ pretium erit.

Quum autem nuntiatum esset Syllam vita functum esse (a. u. 676), per preces et litteras amici flagitabant a Cicerone ut Romam rediret, et, si Plutarcho fidem adhibemus, Antiochus imprimis illum hortabatur ut ad res publicas accederet [2]. Tullius autem ne quid neglectum intentatumque relinqueret ex his rebus quibus perfectus efficitur et constat orator, totam Asiam peragravit cum summis oratoribus, Rhodi ad eumdem quem Romæ noverat, Molonem se applicavit, Posidonium longe Stoicorum hujus ætatis principem audivit, et « se recepit biennio post (a. u. 677), ut ipse ait, non modo exercitatior, sed prope mutatus [3]. »

Nonnullos Ciceronis amicos eodem anno 675 una cum illo Athenis adfuisse Antiochumque audivisse, ipse in incipienti quinto *De Finibus* libro testatur.

[1] Plut., *Vit. Cic.*, p. 862. — *Vit. Luc.*, p. 519. — August., *Contra Acad.*, III, § 41.

[2] Plut., *Vit. Cic.*, p. 862.

[3] *Brutus*, c. 91.

Ab Attico incipiam, qui in *Academicis posterioribus,* jam Varrone Antiochi placita relaturo: « Quid est quod malim, ait, quam ab Antiocho jampridem audita recordari[1]?» Hunc Antiochi auditorem et amicum fuisse, non tamen discipulum; hunc philosopho multum debuisse satis apparet ex ipsius ad Ciceronem verbis: « Ergo assentiris Antiocho familiari meo (magistro enim « non audeo dicere) quocum vixi, et qui me ex nostris « pene convellit hortulis deduxitque in Academiam per- « pauculis passibus[2].»

Aderant Q. Cicero, Tullii frater, et L. Cicero, ejus patruelis, admodum adolescens et oratoriæ arti præcipue deditus; in philosophia etiam non mediocriter versatus, ad Charmadam et mediam Academiam rapitur; « revocatur autem ab Antiocho, nec est præterea quem audiat;» idcirco « Antiochum satis belle videtur attendere » et ejus valde probat sententiam[3].

Nunc denique de illo agetur qui in hac quam diximus postmeridiana ambulatione præcipuas partes agit, id est de Pisone illo, qui a M. Pupio adoptatus, M. Pupius Piso Calpurnianus vocatus est[4].

Staseam Neapolitanum, Peripateticum philosophum, summo hominem ingenio, Piso adolescens multos annos habuerat apud se[5]; nunc Athenis Antiochum au-

[1] *Acad.*, I, 4.

[2] *De Leg.*, I, 21. — Cf. ib., III, init.

[3] *De Fin.*, V, 2 et 26.

[4] Oratoriam artem meditatus, Piso non sine laude causas oraverat, annis 668—670 (*Brut.*, c. 90), atque ideo, juvenis admodum ad honores provectus, quæstor in Italia fuerat, a. 671; deinde tribunus fuit plebis, a. 676, 677; ædilis, a. 679; prætor ex Hispanis triumphavit, a. 685; consul fuit, a. 693.

[5] De Stasea Pisonis doctore, *De Fin.* I, 25; V, 3; — *De Orat.*, I, 22.— Staseas apud Censorinum citatur, c. 14. — Cicero ad Pisonem, quod multæ

diebat[1] et Antiochi discipulum hunc satis agnoscere queas qui maxime inter omnes movetur hæc loca videns, ubi Academici veteres sunt disputare soliti, qui Platonis memoriam et Speusippi et Xenocratis et Polemonis implorans conversusque ad Ciceronem : « audebo te, ait, ab hac Academia nova ad veterem illam vocare[2].»

Non igitur immerito in quinto *De Finibus* libro et Academiæ veteris et Peripateticorum sententiam expositurus inducitur Piso : « Censemus te, ait Cicero, facillime id explanare posse, quod et Staseam Neapolitanum multos annos habueris apud te, et complures jam menses Athenis hæc ipsa te ex Antiocho videmus exquirere[3].» Quod si quis eum ut parum sibi constantem improbare velit, posteriorem magistrum auctorem proferre poterit, qui Peripateticam hanc disciplinam qua imbutus a prima ætate Piso erat, non modo non impugnabat, sed etiam quasi cum Academiæ veteris doctrina consentientem accipiebat et ad fontem revocatam interpretabatur; ita ut Piso integram servans Staseæ sententiam, Nostro tamen se totum traderet et hunc melius et fortius dicentem pluris faceret[4].

Non diu, postquam profectus esset Cicero, Athenis

in eo erant litteræ, a patre deductus (*Brut.*, c. 90. — Ps. Sallust., *in T. Cic. declam.* — Asconius), cum illo multum latine, græce sæpius declamitans erat commentatus et apud eum Staseam audiverat (*De Fin.*, V, 25).

[1] *De Fin.*, V, 3. — De Pisone Antiochi discipulo, ib., c. 1, 5, 6, 25, 27.

[2] *De Fin.*, V, 3.

[3] *De Fin.*, V, 3. — Staseæ discipulus, Ἀριστοτέλειον morem sequitur et περιπατητικὰ tuetur Piso (*Ad Att.*, XIII, ep. 19. — *De Nat. Deor.*, I, 7); altera ex parte Antiochi sententiam ejus oratio complectitur (*De Fin.*, V, 3).

[4] *De Fin.*, V, 25 et 27.

Pisonem commoratum esse constat, quum sequenti anno Romæ tribunatu fungi debuerit.

Illi quidem erant Athenis Ciceronis familiares et cum illo Antiochi auditores. Non autem omnes recensuimus Romanorum electissimos quibus cum Antiocho aut amico aut magistro usus fuit.

Quorum e numero ecce Terentius ipse Varro occurrit, *doctissimus Romanorum*, nobilior profecto vir quam ut ejus memoriæ in hoc scripto consulamus.

Apud eum quidem, quum L. Ælium Stoicum a primo tempore ætatis magistrum habuisset[1], multum valuisse videtur Stoicorum auctoritas, non tamen ut Philonem audire[2], aut Antiochum nostrum omitteret.

Cicero et Augustinus memorant Varronem Antiochi familiarem et auditorem fuisse, ejusque secutum esse sententiam[3]. Idcirco Cicero in *Academicis posterioribus*, quum nulla aptior persona videretur ad id philosophiæ genus, quæ erant contra *ἀκαταληψίαν* præclare collecta ab Antiocho Varroni dabat, *Ἀντιοχείαν* rationem et totam Academicam *σύνταξιν* ad Varronem hæc valde probantem, his maxime delectatum transducebat[4]; quum illi hanc alteram *Academicorum* editionem, commotus Attici litteris, dicaret et mitteret: «Tibi dedi, aiebat, partes An«tiochenas, quas a te probari intellexisse mihi videbar[5].»

Quantum Varroni profuerit Antiochus, quam magistri

[1] De Ælio Varronis magistro, v. *Acad.*, I, 2. — *Brut.*, c. 56. — Aul. Gell. I, c, 18; XVI, c 8. — Sæpissime citabatur Ælius in libris Varronis *De lingua latina*.

[2] *Acad.*, I, 1 et 4.

[3] *Acad.*, I, 3, 4, 9, 12. — August., *Civ. Dei*, XIX, c. 3.

[4] *Ad Att.*, XIII, ep. 12, 13, 16 et 19.

[5] *Ad Div.*, IX, ep. 8.

doctrinam discipulus retinuerit, alio loco perpendere tentabimus. Ne miremur autem quod L. Ælii discipulus e Zenone simul et ex Antiocho pendet[1] veteremque Academiam a Cicerone jam relictam tentat renovare[2]. Antiochus enim, ut supra diximus, pro consueta philosophandi ratione, sectarum lites componere malebat quam persequi, et nihil antiquius habebat quam ut dissidentes in concordiam redigeret; atque ita illum audientibus Stoicorum doctrina cum veteris Academiæ disciplina mirum in modum consentire, et hujus correctio potius quam aliqua nova disciplina esse videbatur.

Quum liber quidam Antiochi ab eo missus sit ad Q. Lucilium Balbum[3], Balbus inter Antiochi auditores et amicos referendus est, non tamen inter discipulos; mirabatur enim Antiochum « hominem in primis acutum « non vidisse interesse plurimum inter Stoicos et Peripa- « teticos[4], » et « tantos progressus habebat in Stoicis ut « cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur[5]; » unde fit ut Cicero in libris *De Natura Deorum* ei causam Stoicorum tuendam tradiderit.

His denique adjiciendum est C. Vibii Pansæ nomen, quem tradit Cicero « de Antiocho fecisse humaniter[6]. »

Quo tempore Varro, Balbus et Pansa Antiochum adierint, incertum est. Satis autem constat hunc paucos annos Athenis remansisse.

1 *Acad.*, I, 2.
2 *Acad*, I, 4.
3 *De Nat. Deor.*, I, c. 7. Anno, ut videtur, 676 aut 677.
4 Ib.
5 Ib, c. 6.
6 *Ad C. Pansam*, ep. fragm. — Hic ille est, Pansa qui consul in Mutinensi pugna mortuus est a. 711.

Lucullus, diuturna quæstura in Asia functus Romamque reversus (a. 674), celeriter ad summos honores pervenit; postquam consulatum gessit (a. 680), anno sequenti ad Mithridaticum bellum a senatu missus est. Tunc, ut antea quæstor, sic post aliquot annos in Syria imperator, Antiochum habuit secum[1], et verisimillimum est, quum Lucullus Tigranocertæ Tigranem fudit (anno 685, pridie nonas decembris), huic prœlio Nostrum adfuisse, quod memorans exclamabat « nunquam tali solem illuxisse victoriæ[2]. »

Non diu post illud prœlium vixit Antiochus, qui quando et ubi mortuus sit, non satis compertum est: Cicero tamen illum memorat, ea quæ a Lucullo exponuntur, «asseverantius in Syria disputavisse, paulo ante quam sit mortuus[3], » et «patria semel egressum domum nunquam revertisse[4]. » Quibus rebus impellimur ad credendum eum vita decessisse priusquam Lucullus, amissa imperatoria potestate, ab Asia Romam redierit (a. u. 688); et quum constet Antiochum post annum 685 librum *περὶ Θεῶν* scripsisse, ubi de Tigranocertina pugna mentionem fecit, profecto non multum a vero aberimus affirmantes eum anno 687 (ante Chr. 67, Ol. 178, 2) esse mortuum[5].

Aristum fratrem ejus multi quidem philosophi inge-

[1] *Acad.*, II, 2 et 19.

[2] Plut., *Vit. Luc.*, p. 511 : Ταύτης τῆς μάχης ὁ Ἀντίοχος ὁ φιλόσοφος ἐν τῇ περὶ Θεῶν γραφῇ μνησθεὶς οὔ φησιν ἄλλην ἐφεωρακέναι τοιαύτην τὸν ἥλιον. — Cf. Suidam, voc. Lucullus.

[3] *Acad.*, II, 19.

[4] *Tusc.*, V, 37.

[5] Itaque in *prioribus Academicis* quæ paulo post reditum Luculli et circa annum 698 agi videntur, Lucullus de morte Antiochi loquitur.

nio scientiaque superabant; ille tamen eximia indole et morum suavitate in primis erat numerandus[1]; quum plurimum ei tribuisset Antiochus[2], quum nihil iste nisi ex fratris sententia sentiret[3], quum multa in eo philosophia esset[4], non indignus visus est qui fratris defuncti hæreditatem acciperet laudemque renovaret, et quasi alter Antiochus coleretur et audiretur.

Mense quintili a. 703 Ciceronem in Ciliciam iter facientem Aristi hospitium excipiebat et benevolentia delectabat[5]; et rursus sequentis anni octrobri mense, quum Romam Cicero rediret imperator, apud eumdem deversabatur et de summo bono cum illo dissentiente disputabat[6].

Discipulus autem Aristi fuit M. Jun. Brutus, qui a Cicerone et Plutarcho veteri Academiæ semper annumeratur[7], qui de summo bono haud aliter ac Antiochus ipse sentiebat[8], et Ciceroni Antiochius videbatur[9]. Junior tamen erat Brutus quam ut Antiochum unquam audivisset et ejus doctrinam nonnisi ex Aristo fratre noverat[10].

Ex quo tempore in Asiam Lucullum proconsulem

1 Plut., *Vit. Brut.*, init., p. 984; qui quidem Plutarchus Ἀρίςωνα eum vocat; sed potius Ciceroni Aristi familiari et hospiti adhibenda est fides.

2 *Acad.*, II, 4.

3 Quod satis constat ex variis Cic. locis: *De Fin.*, V, 3. — *Tusc.*, V, 8.

4 *Ad Att.*, V, ep. 10.

5 Ib. — *Brut.*, c. 97.

6 *Tusc.*, V, 8 et 10. — Cf. Plut., *Vit. Cic.*, p. 879.

7 Cic. in *Brut.*, c. 31, 97. — *De Fin.*, V, 3. — *Acad.*, I, 3. — *Paradox. procem.* — Plutarch., *Vit. Brut.*, p. 984.

8 *Tusc.*, V, 5, 8, 10 et 11.

9 *Ad Att.*, XIII, ep. 25. — Cf. *Tusc.*, V, 8, 10. — Itaque Academica ad eum prius transtulerat Cicero quam ad Varronem transiret. *Ad Att.*, XIII, ep. 16 et 25.

10 *Brut.*, c. 97. — *De Fin.*, V, 3. — *Acad.*, I, 3.

secutus erat Antiochus, unus Athenis placita veteris Academiæ tuebatur Aristus, quem anno 704 adhuc vixisse jam diximus, verisimile autem est ante defunctum esse quam Cicero filium suum Cratippo Peripatetico erudiendum committeret (a. 709).

Nullus Aristo superstes erat discipulus, qui Athenis ejus et Antiochi disciplinam defendendam ac renovandam susciperet: ita ut cum Antiocho et Aristo pene extincta in Græcia videretur philosophia illa quæ mox a Cicerone apud Romanos illustrata, Alexandriæ etiam novum vigorem apud Eclecticos erat acceptura.

Nonnulla scripserat Antiochus, sed horum operum nihil ad nos pervenit, vix fragmentum quidem alicujus pretii; eo enim tempore quo jam minor philosophiæ et imprimis Academiæ supererat honor, raro de Antiocho mentio facta est.

Primum quidem, quæ apud Philonem didicerat, defensitavit Antiochus et scripsit de his rebus acutissime[1].

Sosus qua ratione, quum Noster a magistro discederet, editus sit, et cur hoc titulo inscriptus, jam diximus. In eo libro hoc præcipue sibi propositum habebat Antiochus, novæ mediæque Academiæ veterem illam quam tutabatur opponere. Sed quot et quanta hoc unum intuenti occurrebant! Nempe Stoicos ab omnibus Academicis lacessitos judicabat Antiochus idem sensisse ac veterem Academiam, verbis quidem discrepare, re autem congruere. Non poterat Antiochus talem sententiam in eo libro non explanare quo Sosum civem suum, Stoi-

[1] *Acad.*, II, 22.

cum philosophum, contra Philonis fautores disputantem inducebat.

Octavo circiter anno postquam *Sosus* prodierat, Antiochus ad Balbum hunc librum misit in quo «Stoicos «cum Peripateticis re concinere asserebat, verbis dis- «crepare;» quam tamen sententiam Balbus ipse improbabat. Hæc scripserat Antiochus ut adversus Philonis discipulos contenderet Stoicorum Peripateticorumque quasi germanas esse doctrinas easdemque pariter ortas ex veteri illa, quam ipse renovabat, Academia.

Liber *περὶ Θεῶν*, in quo prœlium adversus Tigranem memorabatur, ad novissimos ætatis ejus annos referendus est.

Cuinam vero tempori assignanda sint quæ *περὶ τῶν Κανονικῶν* scripserat Antiochus, nescimus. Apud Sextum Empiricum e secundo hujus operis libro desumptum occurrit fragmentum quoddam, in quo autem Antiochus non suam, sed Asclepiadis medici sententiam exponit. Ad eosdem de logica arte libros referri potest aliud apud eumdem Antiochi fragmentum, ubi de duplici phantasiæ significatione agitur[1].

Quo in opere Antiochus, ut scripsit Cicero, Carneadis Chrysippum reprehendentis mentionem fecerit, aut virtutem per se beatam vitam efficere posse, non tamen beatissimam, contenderit[2], incertum est. Satis autem significant Ciceronis verba hujus in manibus fuisse An-

[1] *Adv. Math.*, VII, §§ 201 et 162.

[2] *Tusc. Quæst.*, III, 25 : Quocirca Carneades, ut video nostrum scribere Antiochum, reprehendere Chrysippum solebat, laudantem Euripideum carmen illud . . . . Ib. V, 8 : Ista mihi cum Antiocho sæpe, et cum Aristo nuper, quum Athenis imperator apud eum deversarer, dissensio fuit. . . . Dicebantur hæc quæ scripsit Antiochus locis pluribus . . . .

tiochi libros quum *Tusculanas quæstiones* componeret. Idem Tullius, quum scribendis *Academicis* operam impenderet, Antiochi placita ex ipso etiam fonte videtur hausisse et diligenter a se expressa testatur[1].

Hæc tantum de Antiochi scriptis accepimus; sed scribendo minus quam docendo videtur innotuisse et maxime his dotibus inclaruisse quibus a natura philosophiaque informatus et adornatus tot sibi auditores et amicos paravit.

Antiochus enim, quod ad mores spectat, homo erat natura lenissimus, quo nihil poterat fieri mitius[2]; quod pertinet ad ingenium, vir multo acumine[3], disertus suadendique peritus[4], cujus ubertate in dicendo et jucunditate Cicero delectabatur[5], ea denique eloquentia ut Cycnus cognonime diceretur[6]. Quod philosophorum magis proprium est, vir prudens et acutus et in suo genere perfectus[7], ita ut e philosophis ingenio scientiaque putaretur excellere[8], neque indignus quem Cicero, omissis scholasticis studiis, judicaret politissimum et acutissimum hujus ætatis philosophorum[9].

Quid mirum Romanorum tam multos fuisse, eosque in primis nobiles, qui illum audirent eoque familiariter

[1] *Ad Att.*, XIII, ep. 19. Quæ erant contra ἀκαταληψίαν præclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi; .... quæ diligenter a me expressa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum.

[2] *Acad.*, II, 4.

[3] *Acad.*, II, 22. — *Ad Att.*, XIII, ep. 19. — *De Nat. Deor.*, I, 7.

[4] Plut., *Vit. Luc.*, p. 519 : πιθανὸς ἀνὴρ καὶ δεινὸς εἰπεῖν.

[5] Plut., *Vit. Cic.*, p. 862 : εὐροίᾳ τῶν λόγων καὶ χάριτι.

[6] Steph. Byzant. in Ἀσκαλών.

[7] *De Leg.*, I, 21.

[8] *Acad.*, II, 2.

[9] *Acad.*, II, 35.

uterentur? Qui fuerint illi, recordemur modo; jam ab iis quasi comitatus et commendatus Antiochus ad altiorem perveniet dignitatis gradum.

Balbus, Piso et Lucullus philosophiæ litterarumque Græcarum studio laudem meruere: Pisoni quidem nomen nobile præstitit eloquentia; Lucullo magis occasio quam aut natura aut ingenium defuit. Quibus autem viris latinæ glorientur litteræ, quos non vincant tum historiæ religionumque scientia, tum eloquentia philosophiaque, viri illi omni doctrina præstantissimi, Varro et Cicero?

Quod si ad vitam publicam spectes, Varro quidem, postquam aliquandiu in Hispania Pompeii legatus fuit, munerum periculosorum onus repudiavit, ut securum litteris animum intenderet. Lucullus autem, Piso, Cicero et Pansa ad summos honorum gradus provecti sunt.

Lucullum vidit Antiochus consulatu decoratum et imperatoria dignitate auctum, eamque in bello gloriam adeptum, ut ipse et hostis et victus Mithridates « hunc a se majorem ducem cognitum quam quisquam eorum quos legisset[1] » fateretur. Eo circiter tempore quo Lucullus triumphavit, mortuus est Noster, priusquam tam feliciter inchoata ætas in turpem desineret senectutem, et pene ad Epicurum recideret vir ille idem quo gloriata erat Academia.

Pisonem vidit Antiochus ad tribunatum et ad ædilitatem provehi; prætorem denique, ipso Tigranocertinæ pugnæ anno, ex Hispanis triumphum agere.

Quod ad Ciceronem pertinet, consulatum quidem et

[1] *Acad.*, II, 1.

imperatoriam dignitatem nondum adepturus erat nec Patris Patriæ cognomen. Sed jam, vivo Antiocho, primas inter oratores obtinebat quas in posteriori vitæ parte inter philosophos acturus erat.

Junior autem Pansa nondum ad honores accesserat, qui, consul, vitam non sine gloria pro salute et libertate reipublicæ amisit.

Ita ex optimo illo Antiochi discipulorum et amicorum grege, duo præstabant nempe litteris maxime nobilitati Varro et Cicero; civili autem et bellica laude consules quatuor, quorum tres imperatores fuere, duo triumphales viri.

Quantis tum animi, tum ingenii dotibus præditus ille fuit, quem tales viri neque commercio neque amore suo indignum existimaverunt! Antiochi disciplina eorum mentem exornavit, animum informavit. Illi eum contra gloriæ suæ fecere participem: cui enim de Lucullo loquenti non occurret comitis, amici, magistri nomen? Varronis quidem opera pleraque desideramus; sed Augustinus, de iis disserendo, ea excerpsit quibus Antiochi placita exponuntur; nec, dum legentur scripta Ciceronis, id est, dum vero, pulchro, bono aliqua supererit in terris gratia, nomen Antiochi hominum excidet memoria.



II.

DE DOCTRINA ANTIOCHI.

PROŒMIUM.

Qui auctores de Antiochi doctrina scripserint.

Priusquam testimonia quæ supersunt de Antiochi doctrina in ordinem redigere et interpretari incipiamus et ita philosophiam ejus explanare, nonnulla de auctoribus qui hæc nobis testimonia tradiderunt præfari necesse est : inter quos primus sane eminet, et gravissimus et copiosissimus Tullius Cicero; quippe qui Antiochum et Aristum audivisset, eorum familiaritate et hospitio usus esset, Antiochi libros haberet in manibus, denique ab illustrissimis illis Romanis, qui Antiochum ipsi frequentaverant, esset legendus.

Duo autem nobis occurrunt in Tullii operibus testimoniorum genera. Nunc Tullius ipse ipsius Antiochi sententias referre se profitetur, tanta scilicet auctoritate ut fere major desiderari nequeat; nunc Varronem aut Lucullum aut Pisonem inducit, non doctrinam quidem Antiochi ipsius exponentes, sed, auctore Antiocho, antiquam illam philosophiam quam eum secutum fuisse compertum habemus.

Ad Varronem, ut jam diximus, *Ἀντιοχεῖαν* rationem in *Academicis posterioribus* Cicero transtulerat : itaque Atticus, quum disserere Varro incipit : «Quid est, ait,

quod malim quam ex Antiocho jampridem audita recordari[1]?» et Varro ipse ea se testatur exponere quæ ab Antiocho accepit et omnia explicare sicut iste solebat[2]. Nonne satis manifestum est Varronem Antiochi ipsius vestigiis insistere quum de illa antiqua primum philosophia, una nempe et consentiente duobus vocabulis philosophiæ forma, Academicorum et Peripateticorum, ac deinde Stoica de ratione quasi quadam superioris hujus disciplinæ correctione, sermonem habet[3]?

Lucullus, in eo qui superest *Academicorum priorum* libro, nos præcipue docet quid censuerit Antiochus de veritate judicandi et disserendi ratione, et quæ fuerint illum inter et recentiores Academicos discrimina. Cui dubium esse potest quin Lucullus qui eum, et quæstor et imperator, ut diximus, familiarem habuerat, non sua dicat, sed ea quæ sæpissime ab Antiocho disputata audiverat? Quod quidem non uno in loco testatur[4]: accedit quod Cicero omnia quæ contra *ἀκαταληψίαν* a Lucullo dicuntur ex ipsis Antiochi operibus diligenter expresserat[5] et ad ea ipsa in altera ejusdem libri parte respondet[6].

Denique Piso, in quinto *De Finibus* libro, hanc eamdem exponit sententiam de vita et moribus quam dili-

1 C. 4.

2 C. 4, § 13, 14. — C. 9, § 33. Cujus (Platonis) quas acceperim disputationes, si vultis, exponam. — C. 9, § 35.

3 De antiqua philosophia, c. 4, sqq. — De Stoica, c 9, sqq. — Has autem Ciceroni, ab antiquorum ratione desciscenti, partes servat integras, ut ea exponat quæ ab Arcesila et Academicis recentioribus novata sunt.

4 C. 4, § 10, 12. — C. 6, § 18. — C. 9, § 29. — C. 16, § 49. — C. 19, § 61.

5 *Ad Att.*, XIII, ep. 19.

6 Antiochus reprehenditur a Catulo, c. 19; a Cicerone, c. 22, 30, 31, 34, 35, 36, 43, 44, 45, 46.

gentissime persequitur Antiochus [1], hanc nempe Academiam in qua, quod dicentem Antiochum sæpe audiverat, non ii solum numerantur qui Academici vocantur, sed etiam Peripatetici veteres [2]. Non auderet profecto, ut ipse ait, in Academia philosophorum more disputare, nisi complures jam menses Athenis hæc ipsa ab Antiocho audivisset [3]; et sæpissime in hoc libro magistri sui auctoritatem adhibet [4]. Imo Tullius Brutum, cui hunc librum dedicavit, rogat, satisne videatur Pisonis oratio Antiochi complexa esse sententiam [5].

Fatendum est quidem Pisonem, Staseæ auditorem, Peripateticum vulgo haberi et Ciceronem ipsum, dum libros *De Finibus* componeret, hæc ad Atticum scripsisse: «Quæ his temporibus scripsi Ἀριστοτέλειον morem habent. In quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν ut περιπατητικὰ M. Pisoni darem [6].» Quod tamen minime objiciendum est quum Antiochus, et, discipuli ejus, Cicero et ipse Piso, unam eamdemque putent esse Peripateticam et Academicam doctrinam.

Tria sunt igitur hujus generis loca, non expresse Antiochi disciplinam referentia, quæ tamen si cum testimoniis istis conferamus quæ Tullius de Antiocho nominatim profert aut quæ in aliis veterum scriptis occurrunt, haud dubium est quin ex hoc triplici fonte nobis secure et large hauriendum sit.

Sed de Cicerone hactenus: nunc qui scriptores ejus auctoritatem confirment, paucis dicamus.

1 C. 5.
2 C. 3 et 5.
3 C. 3, § 8.
4 C. 3, 5 et 6.
5 C. 3. — Cicero, Pisoni respondens, Antiochum ipsum reprehendit, c. 27.
6 *Ad Att.*, XIII, ep. 19.

Si Varronis opera non desiderarentur, multa offerrent Antiochi sententias mire illustrantia. Unus tamen ex libro *De Philosophia* locus superest, quem nobis Augustinus servavit. Varro ibi veteris Academiæ de moribus decreta, Antiocho auctore, exponit[1]: cujus quidem verba cum Tulliana oratione hinc Varronis in *Academicis*, hinc Pisonis in quinto *De Finibus* libro comparanda sunt.

Plutarchus in vita Ciceronis et Bruti et Luculli, Antiochi sententiam summatim describens, testatur eum ab Academia recentiore et a Philone descivisse et ad Academiam veterem et ad Stoicos transisse.

Numenius, ab Eusebio citatus[2], ea quæ ab Antiocho novata sunt, quum quintam Academiam condidit, memorat, brevius tamen quam ut doctrinæ multum lucis adjiciat. Tradidit etiam, sed in illa re non fide satis dignus, Antiochum Mnesarchi Stoici discipulum fuisse.

Præterea apud Sextum Empiricum docemur Antiochum in Academiam Stoicas opiniones introduxisse et ita Platonis doctrinam interpretatum esse ut pene Stoica videretur[3]. Imo Antiochi duo loca de dialectica nobis transtulit, quorum unum e secundo *περὶ τῶν Κανονικῶν* libro excerpserat[4].

Postremo, Augustinus in libris *Contra Academicos* de Antiocho mentionem facit, Ciceronem, ut videtur, et Varronem, quorum scripta in manibus habebat, auctores adhibens.

1 *De Civ. Dei*, XIX, c. 1 et 3. « Hæc sensisse atque docuisse Academicos veteres Varro asserit, auctore Antiocho, magistro Ciceronis et suo. »

2 *Præp. ev.*, XIV, c. 4 et 9.

3 *Hyp. Pyrrh*, 1, c. 33, § 235.

4 *Adv. Math.*, VII, § 162 et 201.

Omnia igitur hæc veterum testimonia colligere, comparare et interpretari jam aggrediamur, ut aliquam saltem non ignobilis doctrinæ effigiem adumbremus.

CAPUT PRIMUM.

Quid de superiorum ætatum disciplinis censuerit Antiochus.

Quum nulla per se satis intelligatur philosophia, nisi cum superiorum ætatum scholis conferatur, quid, quum de illo Antiocho agitur, cujus ingenium in insectandis Arcesila et Philone, in pace inter Platonem et Zenonem concilianda, potissimum inclaruit? Primum igitur quid censeret Noster de variis disciplinis quæ tunc in honore erant, nec non quid illis debuerit, exquirere operæ pretium erit.

Veteri Academiæ semper Antiochus a Cicerone, a Plutarcho, ab Augustino annumeratur[1]. Quænam autem fuerat, illo judice, vetus illa Academia quam renovandam ac tutandam susceperat?

Socratis (si conceditur prima Academiæ ab illo repetere initia) disputandi rationem et simulatam dubitationem, haud aliter ac veteres Academici ipsi fecissent, interpretatus esse videtur Antiochus. Lucullus enim Socratem ait e numero eorum qui negaverunt quidquam sciri aut percipi posse tollendum esse; multum quidem de se detrahentem in disputatione, plus tribuisse iis quos volebat refellere; ita, quum aliud diceret atque

[1] Cic., *Acad.*, I, 4. — II, 22. — *De Fin.*, V, 2, 3. — *Brutus*, c. 91. — Plut., *Vit. Bruti*, p. 984. — *Vit. Luculli*, p. 519. — August., *Contra Acad.*, II, § 15. — III, § 41.

sentiret, libenter uti solitum esse ea dissimulatione quam Græci εἰρωνείαν vocant[1].

Platonem perfectissimam disciplinam reliquisse, ejus hæredes et discipulos certam quamdam doctrinæ formulam composuisse; et ita factam esse artem quamdam philosophiæ et rerum ordinem et descriptionem disciplinæ, dicunt apud Ciceronem Varro et Lucullus[2]: nec alia erat Antiochi sententia, qui quidem apud Platonem jam esse Stoicorum dogmata contendebat[3], et doctrinam Polemonis, qui a Platone quartus ejus scholam tenuit, de vita et moribus maxime probabat[4].

Academia igitur illa vetus, Antiocho judice, legem veri rectique, decreta quædam et dogmata confirmabat[5]; itaque communis fuerat fons nobilium omnium disciplinarum.

Platonis enim auctoritate unam et consentientem duobus vocabulis philosophiæ formam institutam esse, Academicorum et Peripateticorum, qui, rebus congruentes, nominibus differebant; in Academia veteri non eos solum qui Academici vocantur, Speusippum, Xenocratem, Polemonem, Crantorem, ceterosque, sed etiam Peripateticos veteres, quorum princeps Aristoteles, annumerandos esse, censebat Antiochus[5]: illam

[1] *Acad.*, II, 5 et 23. — Quæ quum a Ciceronis opinione satis aliena, ceteris autem Antiochi placitis magis consentanea videantur, Lucullum credo melius Antiochi verba exsecutum esse quam Varronem in *Acad.*, I, c. 4.

[2] *Acad.*, I, 4. — II, 5 et 23.

[3] Sext. Emp. *Hyp. Pyrrh.*, I, c. 33, § 235.

[4] *Acad.*, II, 42, 43, 45. — *De Fin.*, IV, passim.

[5] Hanc opinionem Varro etiam in libro *De Philosophia* tuebatur. August., *Civ. Dei*, XIX, c. 1.

[6] Varro, *Acad.*, I, 4, 6. — Lucullus, *Acad*, II, 5, 44. — Piso, *De Fin.*, V, 8. — Antiochus ipse, *De Fin.*, V, 3, 5. — *De Leg.*, I, 21. — *Acad.*, II, 44.

autem Academicam simul et Peripateticam, illam antiquorum sententiam diligentissime persequebatur[1].

Stoicos autem Antiochii dicunt ab Academicis et Peripateticis omnia transtulisse; mutatis vocabulis rerum, eorum sententiis pro suis usos esse; Zenonem, quam ab antiquis acceperat, corrigere conatum esse disciplinam; sed, nihil novum reperientem, superiores emendavisse immutatione verborum et nominibus aliis easdem res secutum esse. Itaque hinc veteris Academiæ correctionem potius quam aliquam novam disciplinam Antiochus Stoicorum rationem esse volebat; hinc cum Peripateticis Stoicos re concinere, verbis discrepare, in libro ad Balbum misso contendebat[2].

Duas, ut jam diximus, fuisse Academias censebat Antiochus et hac præcipue sententia adductus fuerat ut a Philone discederet et contra illum *Sosum* suum ederet. Veterem quidem Academiam se renovare ac tutari profitebatur; alteram autem impugnabat qua Arcesilæ, qua Carneadis et Clitomachi, qua Philonis ipsius sectæ uno nomine continebantur.

Prius quid de media Academia ac nova censuerit Antiochus, exquiramus; posterius de Philone suo loco agetur.

Nihil percipi posse et nulli rei debere assentiri dicebant Academici novi, eorumque contra Stoicos potissimum exarserat ingenium. Non igitur fieri poterat quin

[1] *De Fin.*, V, 5. — *Acad.*, II, 45.

[2] Antiochus, *De Leg.*, I, 20, 21. — *De Nat. Deor.*, I, 7. — Varro, *Acad.*, I, 9, 10, 11, 12. — Piso, *De Fin.*, V, 8, 9, 25, 29. — Lucullus, *Acad.*, II, 5 et 6.

ab illis, antiquæ philosophiæ dogmata retinens et Stoicorum adstipulator, Noster dissentiret.

« Arcesilas, ait Lucullus, Zenoni obtrectans, dum hujus definitiones labefactare vult, conatus est clarissimis rebus tenebras obducere. Quum jam philosophorum disciplinæ gravissimæ constitissent, tum exortus est, qui philosophiam bene constitutam perturbaret et everteret, et in eorum auctoritate delitesceret qui negassent quidquam sciri aut percipi posse. Non autem jure suo et Physicos et Platonem et Socratem Arcesilas proferebat; nec ejus calumnia conferenda est cum illorum verecundia qui, nonnullis locis hæsitantes, nimis etiam quædam affirmaverant, aut cum Socratis de propria sententia detrahentis dissimulatione et εἰρωνείᾳ[1]. » Et, ut Augustini verba usurpemus, « Antiochus dicebat rem « insolitam et ab opinione veterum remotissimam Aca« demicos novos conatos inducere; in quam rem vete« rum Physicorum aliorumqne magnorum philosopho« rum implorabat fidem[2] »

Ita Antiochus in simultatem adducebat Academiæ utriusque sententias, et hanc recentiorem, a vetere sejunctam omnique auxilio orbatam, aggrediebatur.

Contra Academicos novos disserere ac disputare, quamvis isti nihil comprehendi, nihil percipi, nihil definiri posse dicerent, non supervacuum esse Antiochus arbitrabatur[3] : eos oppugnabat qui nihil probabant, aut, quum ipsum verum se ignorare faterentur, se verisimile contenderent sequi; multaque, ait Augustinus, argumenta collegerat[4]. Hæc autem argumenta exposuit Lucullus in *Academicis*.

[1] *Acad.*, II, 5, 6, 23, 24.
[2] *Contra Acad* , II, § 15.
[3] Lucullus, *Acad.*, II, 6.
[4] *Contra Acad.*, II, § 15.

Nihil majore studio quam hanc contra Academicos novos disputationem persecutum esse Antiochum satis declarant omnium testimonia : et hæc ab illo suscepta controversia in ejus schola eos quicumque ut Lucullus, ut Brutus, Academiæ novæ adversabantur, detinebat[1]; Ciceronem vero hujus sectæ fautorem, ut Antiocho resisteret, commovebat[2].

Non idcirco dixerim Academicis novis nihil debuisse Nostrum.

A Carneade acceperat sententiarum de summo bono divisionem, et ea libenter uti solebat; illam autem, quam iste disserendi causa opinionem susceperat, Noster improbavit[3]. In omni hac quæstione quæ de bonis et malis appelletur, non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controversiam, sed nominum, dixerat idem Carneades[4], cujus Antiochus placitum illud ita retinuit ut non solum Peripateticos, sed etiam Academicos cum Stoicis consentire diceret.

Nunc vero, ut ad Philonem veniamus, iste negabat duas esse Academias, erroremque eorum qui ita putarunt coarguit[5]. Quomodo autem eo adductus fuerit, et qua mente ita locutus sit, satis apparebit si placita ejus perpenderimus.

Philo, quum Clitomachi primum, cujus in locum successerat, decreta coluisset et illustravisset, liberius

1 Plut., *Vit. Luc.*, p. 519. — *Vit. Bruti*, p. 984.

2 Cic. passim. — Plut., *Vit. Luc.*, p. 519. — *Vit. Cic*, p. 862. — August., *Contra Acad.*, III, § 41.

3 *De Fin.*, V, 6, 7 et 8.

4 *De Fin.*, III, 13. — *Tusc.*, V, 41. — Carneades in Antiochi scriptis nominabatur. *Tusc.*, III, 25.

5 *Acad.*, I, 4.

deinde illa perpendere ausus est et nova quædam commovit, quia ea sustinere vix poterat, quæ contra Academiæ pertinaciam dicebantur : paulatim evanuerat Academica illa assensionis retentio, ita ut, nihil suo pristino more sentiens et sui admodum dissimilis, assentiri jam auderet, quædam percipi et comprehendi fateretur, et esse rerum evidentiam, cogniti incognitique judicium affirmaret. Veritus autem ne ad Stoicos propius accedere et in eorum partes transire videretur, ita hunc nodum expedivit, ut natura quidem cognosci res affirmaret, eo tamen modo quo Stoici vellent comprehendi posse negaret[1].

Quæ quum fuerint Philonis sententiæ, satis inde conjici potest Platonem, eo judice, non hujus sectæ, quæ suspensa semper et incerta est, sed doctrinæ certa quædam asseverantis et constitutæ philosophiæ parentem et principem fuisse. Non igitur Arcesilam ejusque in Academia successores imitabatur, qui Platonem proferebant et in partes suas quasi invitum trahebant. Academiam non cum istis errare et fluctuare, sed in veri studio et scientia cum Platone acquiescere volebat : quod testantur hæc Augustini verba : « Ad Platonis auctorita« tem legesque Academiam Philo revocabat[2]. »

Quum autem ita Philo Arcesilam et Carneadem et Clitomachum ad unam illam et veterem Academiam revocare tentaret, obstabant et repugnabant eorum decreta : quæ nisi interpretaretur et ad sententiam suam accommodaret, hæc omnis doctrina ad nihilum redige-

[1] *Acad.*, II, 6. — Numen. ap. Euseb. *Præp. ev.*, XIV, c. 9, p. 739, b. — Sext. Emp. *Hyp. Pyrrh.*, I, c. 33, § 235. — *Ib.*, II, c. 11, § 110. — *Adv. Math.*, VIII, § 113.

[2] *Contra Acad.*, III, § 41.

batur. Philo igitur aut ea Academicorum esse contendebat quæ nullo unquam ex Academico audita erant, aut ea negabat ab Academicis dici, quæ vulgo dicebantur, et ita aperte mentiri non dubitabat [1].

Quam autem ob causam et qua ratione isti dubitasse viderentur, exquirens, confitebatur, quod Metrodorus antea facere tentaverat, non decreto placuisse Academicis nihil posse comprehendi, sed eos necessario contra Stoicos ejusmodi arma sumpsisse [2].

Is igitur ex testimonio veterum erat Philo ille Larissæus. Hunc secutus est Noster quum, quædam percipi et comprehendi affirmans, ab Academia nova descivit, et veterem illam et Platonicam renovare conatus est.

Ab eodem autem dissentiebat, quum in disputationibus et in *Soso* duas contenderet fuisse Academias, quarum hanc novam rebus nubes offundentem insectaretur. Philonem igitur improbabat, quippe qui in interpretandis hujus Academiæ decretis a vero longius abesset [3].

Ab eodem dissentiebat etiam quum e veteri Academia pendere et cum ea consentire Stoicos in disputationibus suis et in *Soso* et in libro ad Balbum misso affirmaret, eorumque partes tutaretur; et ita pristino Academicorum contra Stoicos certamini finem imponeret. Stoicam etiam comprehensionis definitionem, quam Philo infirmaverat, ipse, ut postea videbimus, retinebat.

[1] *Acad.*, II, 4, 6.

[2] August., *Contra Acad.*, III, § 41. Hoc idem sæpissime de Academicis dictum esse testantur, id. ib., c. 17. — *Ep.* 118, § 16. — Sext. Emp. *Hyp. Pyrrh.*, I, c. 33, § 234, et Aristo Chius, ib. — Laërt., IV, 33. — Numen. ap. Eus. *Præp. ev.*, XIV, 6 (ex Diocle Gnidio), et ib., c. 8. — Philonis, ut videtur, sententiam exponebat Cicero in hoc *Acad. post.* fragm. : « Mos fuit Academicis occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque vixissent, aperiendi. »

[3] *Acad*, II, 4 et 6.

Hæc igitur de superiorum ætatum disciplinis censebat Antiochus, et ita dum Academiam recentiorem et Philonem ipsum impugnabat, veterem illam et quasi triplicem Academiam, antiquam nempe Platonis et Aristotelis philosophiam, cujus quasi correctio quædam erat Stoicorum doctrina, tutabatur.

Pro jure quidem suo se agere arbitrabatur, quum ita consentientes inter se doctrinas simul sequeretur, neque inconstantiæ crimen obire, quum Platonem simul et Aristotelem et Zenonem invocaret : quod profecto intelligi non posset, nisi meminissemus quantum eo tempore mutatæ essent et quasi degeneres Peripateticorum et Stoicorum disciplinæ, quantumque ad Academiam veterem propius accedere conarentur.

Maxime quidem illud in Stoicis adnotandum est : Panætius enim et Posidonius negabant sola virtute vitam beatam effici posse, divitiasque et sanitatem et cetera generis ejusdem bonis annumerabant. Uterque etiam conturbari ipsum sapientis animum censebat, et Posidonius de omni hac quæstione, quam in libro *περὶ παθῶν* disputaverat, a Stoicis dissentiebat. « Panætius, ut ait « Cicero, tristitiam istam et asperitatem fugiens, nec acer- « bitatem sententiarum, nec disserendi spinas probavit, « semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem, Xeno- « cratem, Theophrastum, Dicæarchum [1]. » Haud aliter Posidonius, qui cum magistro suo ita fateri non dubitabat quid emendata et temperata ista Stoicorum ratio antiquæ philosophiæ deberet.

Antiochus quum tres disciplinas inter se conciliatas in unam doctrinam redigere tentaret, Platonem et ve-

[1] *De Fin.*, IV, 9 et 28

terem Academiam auctores proferebat, Stoicos reipsa in pluribus sequebatur. Totus adhuc ab Academia sibi pendere videbatur, quum jam pene in Stoicorum partes transierat. Illum igitur « Stoicorum adstipulatorem, » et, « si perpauca mutavisset, germanissimum Stoicum » vocabat Cicero[1], cujus auctoritatem satis confirmant ipsæ Antiochi sententiæ seu ad disserendi rationem, seu ad vitam et mores pertinentes.

Qui autem non esse Stoicis cum Academicis et Peripateticis rerum discrepantiam, sed verborum controversiam contendebat, ille profecto antiquam illam quam dicebat philosophiam non integram servaverat; ille nullius doctrinæ certam formulam propriamque descriptionem retinuerat: cujus quidem erroris et ejus discipuli[2] et veteres alii[3] Nostrum, quum eum Stoicam sec-

[1] *Acad.*, II, 6, 21, 22, 30, 35, 43, 44, 45, 46, 47, etc.

[2] Mirabatur Cicero, et ex Lucullo quærebat quando ista fuissent ab Academia veteri decreta, et quo tandem modo esset Antiochus ejus Academiæ, cujus esse se profiteretur (*Acad.*, II, 6, 20, 22, 30, 35, 44, 46, 47); mirabatur etiam Balbus, Antiochum, hominem in primis acutum, non vidisse interesse plurimum inter Stoicos et Peripateticos, et illam non verborum parvam, sed rerum magnam esse dissensionem (*De Nat. Deor.*, I, 7).

[3] Plutarch., *Vit. Cic.*, p. 862. τὸν Στωϊκὸν ἐκ μεταβολῆς θεραπεύων λόγον ἐν τοῖς πλείστοις. — Numen. ap. Euseb. *Præp. ev.*, XIV, c. 9, μυρία ξένα προσῆψε τῇ Ἀκαδημίᾳ. — Sextus Emp., *Hyp. Pyrrh.*, I, c. 33, § 235 : Ὁ Ἀντίοχος τὴν στοὰν μετήγαγεν εἰς τὴν Ἀκαδημίαν· ὡς καὶ εἰρῆσθαι ἐπ' αὐτῷ ὅτι ἐν Ἀκαδημίᾳ φιλοσοφεῖ τὰ Στωϊκά· ἐπεδείκνυε γὰρ ὅτι παρὰ Πλάτωνι κεῖται τὰ τῶν Στωικῶν δόγματα. — August., *Civ. Dei*, XIX, c. 3. « Cicero in pluribus Antiochum fuisse Stoicum quam veterem Academicum vult videri. » — *Contra Acad.*, III, § 40. « Antiochus,... auditis Philone Academico et Mnesarcho Stoico, in Academiam veterem... irrepserat, nescio quid referens mali de Stoicorum cineribus, quod Platonis adyta violaret. » — Augustinus, ibid., *fœneum Platonicum* eum vocat. — Cf. Ænesid. ap. Phot. *Myriob.*, cod. 212, p. 169, Bekk. Οἱ δ' ἀπὸ τῆς Ἀκαδημίας, μάλιστα τῆς νῦν, καὶ Στωϊκοῖς συμφέρονται ἐνίοτε δόξαις, καὶ εἰ χρὴ τἀληθὲς εἰπεῖν, Στωϊκοὶ φαίνονται μαχόμενοι Στωϊκοῖς.

tam pene in Academiam transtulisse notarent, persæpe insimulaverunt.

Hæc ipsa conspiratio et quasi confusio doctrinarum præcipua, ut diximus, causa fuerat, cur tam multi Antiochum audirent: nullus erat enim qui ab ista Antiochi et Aristi veteri Academia alienum haberet animum, quamvis Stoicorum partibus ut Varro, Balbus et Brutus, aut Peripateticorum ut Piso, aut Epicureorum quidem ut Atticus faveret.

Fatendum est Nostrum, dum de superiorum ætatum disciplinis ageret, neque omnia attente ut historicum adnotavisse, neque omnia ut judicem perpendisse. Sed eo præsertim eminuit, quod veritatem mirabili quodam amore amplexus, omnia quæ vera videbantur undique accipiebat, ut ita simplex quædam et temperata, nec illecebrarum nec utilitatis expers, doctrina exsisteret, qua quidem a scholasticis controversiis remotissima, omnium sibi conciliaret animos.

CAPUT SECUNDUM.

Antiochi Doctrina.

Quid superiorum ætatum disciplinis Antiochus debuerit et quo fonte ejus doctrina derivata sit, quum jam noverimus, nunc de ipsa ejus doctrina nobis agendum est, ac primum, quid de summa philosophiæ et partibus illius censeret, exquirendum.

Dicebat Antiochus «hanc esse regulam totius philo-«sophiæ, constitutionem veri, falsi, cogniti, incogniti; «quam rationem qui susciperent, docereque vellent, quæ «a quovis accipi oporteret et quæ repudiari, certe hoc

«ipsum ex quo omne veri falsique judicium esset, per«cipere eos debuisse. Etenim duo esse hæc maxima in «philosophia, judicium veri et finem bonorum; nec sa«pientem posse esse qui aut cognoscendi esse initium «ignoret, aut extremum expetendi, ut, aut unde profi«ciscatur, aut quo perveniendum sit, nesciat[1].»

Hæc Ciceronis verba, ex Antiochi, ut videtur, scriptis ipsis expressa, satis declarant:

Physicam ab Antiocho pene neglectam fuisse;

Hujus philosophiam omnem duobus maxime constare; exquiritur enim aut veritas judicandi, ratio verum a falso dignoscendi, *κρίτηριον ἀληθείας*, aut finis bonorum, *τέλος ἀγαθῶν*;

Philosophiæ unum et verum esse propositum ut summum bonum cognoscat et ad vitam beatam perveniat; hanc igitur partem maxime esse necessariam quæ ad mores et agendi rationem pertineat;

In hoc positam esse logicæ artis utilitatem, ut sine veri cognitione nulla esset recti bonique cognitio et regula; neque ullum, unde proficisceremur, initium, nisi, ea, quæ ad illam pertinent, constituerentur.

Quum Antiochus in has partes, et hoc vinculo inter se conjunctas, omnem philosophiam divideret, ita ejus tenebimus ordinem ut, a logica ordientes et pauca de physica locuti, tandem ad partem maxime necessariam accedamus, nempe moralem[2].

[1] *Acad.*, II, 9.

[2] Hunc ordinem Varro sequitur, *Acad.* I, 2, quo usi erant Stoici veteres (Sext. Emp. *Adv. Math.*, VII, c. 22, § 374. — Laërt. VII, 40.). Idem Varro alium ordinem sequitur (ib., c. 9), Stoicos recentiores in hoc loco imitatus.

tam pene in Academiam transtulisse notarent, persæpe insimulaverunt.

Hæc ipsa conspiratio et quasi confusio doctrinarum præcipua, ut diximus, causa fuerat, cur tam multi Antiochum audirent: nullus erat enim qui ab ista Antiochi et Aristi veteri Academia alienum haberet animum, quamvis Stoicorum partibus ut Varro, Balbus et Brutus, aut Peripateticorum ut Piso, aut Epicureorum quidem ut Atticus faveret.

Fatendum est Nostrum, dum de superiorum ætatum disciplinis ageret, neque omnia attente ut historicum adnotavisse, neque omnia ut judicem perpendisse. Sed eo præsertim eminuit, quod veritatem mirabili quodam amore amplexus, omnia quæ vera videbantur undique accipiebat, ut ita simplex quædam et temperata, nec illecebrarum nec utilitatis expers, doctrina exsisteret, qua quidem a scholasticis controversiis remotissima, omnium sibi conciliaret animos.

CAPUT SECUNDUM.

Antiochi Doctrina.

Quid superiorum ætatum disciplinis Antiochus debuerit et quo fonte ejus doctrina derivata sit, quum jam noverimus, nunc de ipsa ejus doctrina nobis agendum est, ac primum, quid de summa philosophiæ et partibus illius censeret, exquirendum.

Dicebat Antiochus «hanc esse regulam totius philo«sophiæ, constitutionem veri, falsi, cogniti, incogniti; «quam rationem qui susciperent, docereque vellent, quæ «a quovis accipi oporteret et quæ repudiari, certe hoc

«ipsum ex quo omne veri falsique judicium esset, per-«cipere eos debuisse. Etenim duo esse hæc maxima in «philosophia, judicium veri et finem bonorum; nec sa-«pientem posse esse qui aut cognoscendi esse initium «ignoret, aut extremum expetendi, ut, aut unde profi-«ciscatur, aut quo perveniendum sit, nesciat[1].»

Hæc Ciceronis verba, ex Antiochi, ut videtur, scriptis ipsis expressa, satis declarant:

Physicam ab Antiocho pene neglectam fuisse;

Hujus philosophiam omnem duobus maxime constare; exquiritur enim aut veritas judicandi, ratio verum a falso dignoscendi, *κρίτηριον ἀληθείας*, aut finis bonorum, *τέλος ἀγαθῶν*;

Philosophiæ unum et verum esse propositum ut summum bonum cognoscat et ad vitam beatam perveniat; hanc igitur partem maxime esse necessariam quæ ad mores et agendi rationem pertineat;

In hoc positam esse logicæ artis utilitatem, ut sine veri cognitione nulla esset recti bonique cognitio et regula; neque ullum, unde proficisceremur, initium, nisi, ea, quæ ad illam pertinent, constituerentur.

Quum Antiochus in has partes, et hoc vinculo inter se conjunctas, omnem philosophiam divideret, ita ejus tenebimus ordinem ut, a logica ordientes et pauca de physica locuti, tandem ad partem maxime necessariam accedamus, nempe moralem[2].

[1] *Acad.*, II, 9.

[2] Hunc ordinem Varro sequitur, *Acad.* I, 2, quo usi erant Stoici veteres (Sext. Emp. *Adv. Math.*, VII, c. 22, § 374. — Laërt. VII, 40.). Idem Varro alium ordinem sequitur (ib., c. 9), Stoicos recentiores in hoc loco imitatus.

§ I. *Logica.*

Cicero, in eo qui superest *Academicorum priorum* libro, non solum induxit Lucullum qui Antiochi sententiam de veritate judicandi et disserendi ratione tueretur, sed ipse contra Lucullum, id est Antiochum ipsum, accurate copioseque disputavit. Hæc, quum facile ad ipsum fontem quisque possit accedere, exponere supervacuum esset; quæ quidem attente perpendenti satis apparet, in illis nihil inesse quod sibi proprium asserere possit Antiochus, nihil quod non e Stoico fonte expresserit.

Illud igitur satis erit, si Tullii et Sexti Empirici et Augustini loca, ubi Antiochi ipsum nomen et ejusdem de arte logica sententiæ occurrunt, collegerimus et interpretati erimus; ut inde jam perspicuum sit Antiochum de logica arte omnia cum Stoicis sensisse, et Ciceronem hanc Stoicam simul et Antiochiam rationem diligenter in *Academicis posterioribus* exsecutum esse.

Nunquam assensurum sapientem dixerat Arcesilas; nam si ulli rei assentiatur unquam, aliquando etiam opinaturum, id est incertæ aut quidem falsæ rei assensurum. Contra contendebant Stoici et eorum adstipulator Antiochus, sapientem opinaturum nunquam, assensurum tamen; posse enim eum falsa a veris distinguere, et tale verum comprehendere, quale falsum esse non possit[1]. Ita a novis Academicis discedens, nihil magis defendebat Antiochus quam verum a sapiente percipi posse[2]; cum Zenone asserebat insipientem ipsum multa

[1] *Acad.*, II, 20, 21, 35.
[2] August., *Contra Acad.*, II, § 15.

comprehendere; at quemquam, excepto sapiente, scire rem ullam negabat[1].

Quum a sensibus initium cognoscendi et criterium veri sumeret, hanc accipiebat Stoicorum definitionem: « Visum illud verum esse impressum et effictum ex eo « unde esset, quale esse non posset ex eo unde non « esset[2]. »

Ut Chrysippus duo quædam esse volebat, hinc *φαντασίαν* quæ a rebus ipsis efficta et seipsam et *φανταστὸν* declararet, hinc *φανταστικὸν*, ideam nempe quam nulla res objecta imprimeret[3]; Antiochus etiam non omnibus visis adjungebat fidem, sed iis solum quæ propriam quamdam haberent declarationem earum rerum quæ viderentur. Quasdam enim censebat esse animi cogitationes quæ non a rebus ipsis perspicuis et evidentibus efficerentur, sed illas solum fide esse dignas quæ et se et aliud ostenderent.

« Quum aliquid adspeximus, aiebat, visu quodam « modo afficimur, nec eum sic habemus affectum, ut « habebamus priusquam aspiceremus; per eam autem « alterationem duo apprehendimus: unum ipsam alte- « rationem, id est phantasiam; secundum autem id « quod indidit alterationem, nempe adspectabile; et si- « militer in aliis sensibus. Quomodo ergo lux et seipsam « indicat et omnia quæ sunt in ipsa; ita etiam phantasia « quum sit origo prima cognitionis quæ est in animali,

1 *Acad.*, II, 47.

2 *Acad*, II, 6, 11, 13, 24, 26, 35. — *De Fin.*, V, 26. — De hac Stoicorum definitione, v. Sext. Emp. *Hyp. Pyrrh.*, II, § 4. — *Adv. Math.*, VII, § 248, 250, 255, 402, 410, 426. — Laërt, VII, 46 et 50. — August., *Contra Acad*, III, § 18. — Suid.

3 Plut., *De plac. phil.*, IV, 12.

« debet instar lucis et seipsam ostendere et indicare evi-
« dens illud quod eam effecit[1]. »

Idem cum Stoicis hanc esse vim animi affirmabat ut, visis assentiens, perciperet, comprehenderet: In secundo igitur *Canonicorum* suorum libro sententiam improbabat Asclepiadis medici, qui quidem quum sensus revera rerum esse apprehensiones, et ita *ἀντιλήψεις* nihil aliud quam ipsas *αἰσθήσεις* esse diceret, ratione nihil omnino comprehendi asseverabat[2].

Dialecticam veri et falsi quasi disceptatricem et judicem usurpans, cum Stoicis omne quod ita disjunctum est quasi « aut etiam aut non » non modo verum esse, sed etiam necessarium censebat. Si enim e contrariis disjunctio, quum alterum ait, alterum negat (aut vivet cras Hermachus aut non vivet), si talis disjunctio falsa potest esse, nulla vera est[3].

1 Sext. Emp., *Adv. Math.*, VII, § 162, ex ed. Fabr., p. 404. Φαντασίαν ῥητέον εἶναι πάθος τι περὶ τὸ ζῶον, ἑαυτοῦτε καὶ τοῦ ἑτέρου παραστατικόν · οἷον προσβλέψαντές τινι, φησὶν ὁ Ἀντίοχος, διατιθέμεθά πως τὴν ὄψιν · καὶ οὐχ οὕτως αὐτὴν διακειμένην ἴσχομεν, ὡς πρὶν τοῦ βλέψαι διακειμένην εἴχομεν. Κατὰ μέντοι τὴν τοιαύτην ἀλλοίωσιν δυοῖν ἀντιλαμβανόμεθα · ἑνὸς μὲν αὐτῆς τῆς ἀλλοιώσεως, τουτέςι τῆς φαντασίας · δευτέρου δὲ τοῦ τὴν αλλοίωσιν ἐμποιήσαντος, τουτέστι τοῦ ὁρατοῦ. Καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων τὸ παραπλήσιον, ὥσπερ οὖν τὸ φῶς ἑαυτό τε δείκνυσι, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ · οὕτω καὶ ἡ φαντασία ἀρχηγὸς οὖσα τῆς περὶ τὸ ζῶον εἰδήσεως, φωτὸς δίκην ἑαυτήντε ἐμφανίζειν ὀφείλει, καὶ τοῦ ποιήσαντος αὐτὴν ἐναργοῦς ἐνδεικτικὴ καθεστᾶναι. Cf. *Acad.*, I, 11 — Hæc una est Antiochi sententia de qua silet Lucullus.

2 Sext. Emp., *Adv. Math.*, VII, § 201 : τὰς μὲν αἰσθήσεις ὄντως καὶ ἀληθῶς ἀντιλήψεις εἶναι · λόγῳ δὲ μηδὲν ὅλως ἡμᾶς καταλαμβάνειν.

3 *Acad*, II, 30. — Lucullus inexplicabilia et captiosa excipi postulat (*Acad.*, II, 29 et 30). Vide quæ de Academicorum soritis dicuntur, ib., c. 16, 28, 29, 33. — Antiochus, ut videtur, sequebatur Chrysippi τὸ ἡσυχάζειν. *Acad.*, II, 29. — Sext. Emp., *Adv. Math.*, VII, § 416.

Omnes istas ad logicam artem pertinentes sententias, quas Antochi fuisse veteres tradiderunt et quas fusius et uberius exponit Lucullus in *Academicis*, Stoici pro suis ac propriis sibi vindicare poterant. Itaque Sextus Empiricus Antiochum memorat Stoicorum doctrinam in Academiam transtulisse, adeo ut diceretur illum in Academia Stoico more philosophari[1]; et Cicero quum Lucullo respondet, semper quasi in omni parte consentientes Antiochum simul et Stoicos impugnans, ab illo quærit quo tandem modo sit Noster ejus Academiæ cujus esse se profiteatur: « Antiochus, ait, a Chrysippo « pedem nunquam[2]. »

Memoria teneamus Antiocho logicam artem non per se ipsam placuisse: illa tantum utebatur ut iis adversaretur qui philosophiam evertere et clarissimis rebus tenebras obducere conabantur[3]: illam adhibebat ut in perspicuis firmius et constantius maneret, neque ab illis quæ clara sunt ipsa per sese, quasi præstigiis quibusdam et captionibus depelleretur[4]. Hanc igitur logicam artem libentius admisit qua jamdudum Stoici sapientiæ decreta contra recentiores Academicos defendebant, et, Stoicos imitatus, contra recentiorem hanc Academiam præcipue invectus est.

Quum contenderent Academici quod verum visum est, id omne tale esse, ut ejusdem modi falsum etiam possit videri, et inde nihil posse comprehendi, Antio-

[1] Sext. Emp., *Hyp. Pyrrh.*, I, §. 235.

[2] *Acad.*, II, 35 et 46. — Cf. 6, 21, 22, 30 et 47.

[3] Sæpissime ostendit Lucullus, si visa et assensio tollantur, actionem omnem e vita tolli, et omnia officia et sapientiam et ejus decreta. *Acad.*, II, 8, 9, 10, 12 et 33.

[4] *Acad.*, II, 6 et 14.

chus contra Academicos orationem suscepit, ut retineret hanc, quam diximus, Stoicam definitionem[1].

Hæc etiam quæ de rerum perspicuitate defendenda responderi possent in promptu habebat[2], nempe ita armatus ut facile interrogationibus Academicorum occurreret captionesque omnes discuteret[3]. Quum varia Academicorum argumenta exponeret ac perpenderet, ad omnes visiones inanes permulta dicebat et erat de hac una re unius diei disputatio[4]; et quum quædam esse falsa sensuum visa fateretur, contra illos certabat qui nihil percipi posse inde concludebant[5].

Nec satis hoc fuit Antiocho, ut istis, quæ ab Academicis contra rerum evidentiam disputabantur, refutatis, ita antiquam philosophiam et Stoicam doctrinam tutaretur. Eos enim aggressus et insectatus, quænam sibi minus constantia, quænam secum repugnantia, admisissent, ostendebat[6]. Quo quidem in argumentandi genere non solum Stoicorum vestigia sequebatur, sed etiam de proprio nonnihil addiderat.

Quum nihil comprehendi posse affirmarent Academici[7], consentaneum esse id ipsum saltem percipi posse, ut alia non possent, contenderat Stoicus Antipa-

1 *Acad.*, II, 6.

2 Lucullus ostendit Academicos, dum visa esse contendunt, qualia a falsis discerni non possint, nihil omnino loci memoriæ et artibus (*Acad.*, II, c. 7), nihil rationi (ib., c. 8, § 26, c. 9, § 27, c. 14, § 44), nihil scientiæ (ib., c. 8), nihil sapientiæ (ib., c. 8 et 9) relinquere.

3 Lucullus, *Acad.*, II, 15.

4 *Acad.*, II, 16, 25.

5 *Acad.*, II, 32. Cf. ib., 16.

6 Lucullus, *Acad.*, II, 15, sqq.

7 *Acad.*, I, 12. « Arcesilas negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset. »

ter: hoc autem Antipatri pingue et sibi ipsum contrarium Antiochus censebat; non enim posse convenienter dici nihil comprehendi posse, si hoc ipsum comprehendi posse diceretur. Noster autem ad istum locum pressius accedens, ita potius urgendum esse dicebat ut Academicorum appareret inconstantia:

« Quum sapientis nullum decretum esse possit nisi « comprehensum, perceptum, cognitum, et Academici « id haberent decretum, nihil posse percipi, non debe« bant in suo decreto, sicut in ceteris rebus fluctuare, « præsertim quum in eo summa consisteret: hanc enim « esse regulam totius philosophiæ, constitutionem veri, « falsi, cogniti, incogniti: quam rationem quoniam sus« ciperent docereque vellent, quæ a quovis accipi opor« teret et quæ repudiari, certe hoc ipsum ex quo omne « veri et falsi judicium esset, percipere eos debuisse. « Etenim duo esse maxima in philosophia, judicium « veri et finem bonorum; nec sapientem posse esse, qui « aut unde proficiscatur, aut quo perveniendum sit ne« sciat. Hæc autem habere dubia, neque his ita confidere, « ut moveri non possint, abhorrere a sapientia pluri« mum: hoc igitur modo potius erat ab his postulan« dum, ut hoc unum saltem, percipi nihil posse, per« ceptum esse dicerent [1].»

Altera ex parte novos Academicos impugnabat qui sese verisimile sequi contendebant, quum ipsum verum se ignorare faterentur [2].

Philonem denique quum res eo quo Stoici vellent modo comprehendi negaret et Stoicam comprehensio-

[1] *Acad*, II, 9 et 34. — Cf. Luculli verba, ib., c. 11 et 14.

[2] August., *Contra Acad.*, II, § 15. — Cf. Lucullum, *Acad.*, II, c 10 et 11.

nis definitionem infirmaret tolleretque, «judicium tol-«lere incogniti cognitique, imprudentem eo quo minime «vellet revolvi et in ipsum quod timebat se induere cen-«sebat[1].»

Hæc autem Antiochi reprehensio in primis erat nobilis, qua solebat ipse dicere Philonem maxime perturbatum: «Quum enim sumeretur unum, esse quædam «falsa visa; alterum, nihil ea differre a veris: non atten-«dere superius illud ea re a se esse concessum, quod «videretur esse quædam in visis differentia; eam tolli «altero, quo neget visa a falsis vera differre; nihil tam «repugnare[2].»

Illas quidem fuisse Antiochi sententias ad logicam artem pertinentes, illis eum argumentis evidentiam tutari conatum et Academicos insectatum esse, veteres expresse testantur.

Satis autem manifestum est Lucullum in *Academicis* disputantem non modo nihil dixisse quod cum istis repugnaret, sed etiam has sententias fusius exposuisse, hæc eadem argumenta sæpius et instantius usurpavisse: inde summa fides Luculli testimoniis adhibenda est et constat Ciceronem, ut ipse dixit, hæc quæ contra ἀκαταληψίαν dicuntur, diligenter ab Antiochi operibus expressisse.

Satis etiam manifestum est, hæc omnia, quæ Antiochum sensisse testantur veteres, aut quæ retulit Lucullus in *Academicis*, e Stoico fonte defluxisse.

Duplex illa sit hujus dissertationis nostræ partis conclusio.

[1] *Acad.*, II, 6 et 11.
[2] *Acad.*, II, 34. Cf. Lucullum, ib. c. 14.

§ II. *Physica.*

De quæstionibus naturalibus nullam Antiochi opinionem compertam habemus; ex quo antiquorum auctorum silentio testimonium quoddam oritur : nempe Antiochum physicæ operam non nisi mediocrem dedisse; verebatur forsan ne disputans de abditis rebus et obscuris majorem libertatem et licentiam Academicis, contra quos dicturus erat, largiretur[1].

At illud pro certo affirmari potest Antiochum Stoicorum physicæ adhæsisse et ejus placita Varronem exposuisse quum contenderet in *Academicis*[2] :

« Vim esse quamdam quæ semper moveatur et ultro citroque versetur, causam scilicet rerum efficientium;

« Huic subjici, sine ulla specie, carentem omni qualitate, materiam, quæ tota omnia accipere, omnibusque modis mutari, eoque etiam, non in nihilum, sed in suas partes, quæ infinite secentur et dividantur, interire possit;

« Naturam igitur in duas res dividi, ita tamen ut nulla vis sine aliqua sit materia (nihil est enim quod non alicubi esse cogatur), nec materia cohærere possit, si nulla vi contineatur; in utroque igitur esse utrumque;

« Quæ ex materia huic se præbente vis efficiens expressit, ea qualitates esse (*ποιότητας*) et qualia quædam, id est corpora;

« Qualitatum autem principes alias, uniusmodi esse et simplices, quæ initia (*ἀρχαί*), elementa (*στοιχεῖα*)

[1] Lucullus, *Acad.*, II, 10.

[2] Quæ sequuntur diligenter expressa sunt ex *Acad.*, I, c. 6 et 7. — Cf., ib., c. 2.

dicantur; e quibus aera et ignem movendi vim habere et efficiendi, aquam vero et terram accipiendi et quasi patiendi;

« Qualitates alias ex iis ortas, illas quidem varias esse et quasi multiformes, ut animantium formas et earum rerum quæ gignuntur in terra;

« Ex hac vi qualitatum corpora quæque, seu qualia quædam effici; e quibus in omni natura ita cohærente et continuata, ut extra eum nulla sit pars materiæ, effectum esse mundum;

« Omnia autem quæ in mundo sunt natura sentiente et sempiterna teneri; vimque illam ipsam mundi animum esse, eamdemque mentem et sapientiam perfectam et Deum et prudentiam et necessitatem et fortunam dici. »

Quæ dum exponit Varro, antiquam illam a Platone acceptam, Academicorum nempe et Peripateticorum doctrinam retinere sibi videtur; reipsa ita Stoicorum disciplinam sequitur, ut ab illis nulla in re dissentiat, ne uno quidem discrepet verbo. Ita etiam opiniones ad physicam pertinentes, de quibus Piso et Lucullus obiter mentionem habuerunt, omnes Stoicæ sunt; Ciceroque Lucullo, dum ei respondet, nihil nisi placita Stoicorum tribuit[1]. Fatendum est igitur communem eorum magistrum, quum disputando physicam leviter attingeret, non Academiæ veteris, quam sequi se profiteretur, sed Stoicorum vestigiis institisse.

Itaque pro certo habemus Antiochum de natura animi et de Deo eadem quæ Stoicos sensisse.

Quum satis ejus doctrina seu de logica arte seu de vita et moribus declaret animum in nobis inesse qui

[1] *Acad.*, II, 36-41.

principatum teneat, is a corpore non satis esse disjunctus, et, nisi quod subtilior et vividior ejus esset natura[1], corpus tamen videtur. Lucullus enim dicit animum sensum esse et naturalem quamdam vim quæ intendat ad ea quibus movetur[2]; affirmat autem Varro nihil esse quod non alicubi esse cogatur, nec, aut quod efficiat aliquid, aut quod efficiatur, posse esse non corpus[3]; hanc singularem naturam et corporis expertem, cujus generis animum esse Aristoteles et Xenocrates dixerunt, nullam profecto esse censet[4].

Similia, ut opinor, de Deo docebat Antiochus: Varronem enim, cujus verba jam retulimus, imitatur Lucullus qui tum mundum ædificatum esse divino aliquo consilio, Deum omnia nostri causa fecisse dicit[5], tum sentit mundum esse sapientem et mentem in eo quamdam inesse quæ et se et ipsum fabricata sit, et omnia moderetur, moveat, regat[6]. Haud aliter Piso, ceteris quidem concedens ut existiment quod velint, ipse iis assentitur qui hæc omnia regi natura putant; quæ si natura negligat, ipsa esse non possint[7].

Quum autem nihil aliud esset Deus nisi natura et mundi animus et vis efficiens undique diffusa et præsens, cui omnia ut necessitati et fato parerent, illæ mundi partes, quæ præcipue divina illa vi continentur et moventur, divinum et ipsum numen habebant; utque Cicero Lucullo dicit: « Erit sapienti persuasum solem,

[1] Cic. ad Luc., *Acad.*, II, 39.
[2] *Acad.*, II, 10.
[3] *Acad.*, I, 6 et 11.
[4] *Acad.*, I, 7 et 11.
[5] *Acad.*, II, c. 38 et 40.
[6] *Acad.*, II, 37. — Cf. ib., 10 et 27.
[7] *De Fin.*, V, 11.

« lunam, stellas omnes, terram, mare, Deos esse, quod « quædam animalis intelligentia per omnia ea permeet « et transeat[1].» Inde illa veterum fabularum, quam susceperunt Stoici, interpretatio.

Talia quum censeant Antiochii, recte conjici potest hanc fuisse summam libri quem περὶ Θεῶν scripserat Antiochus, ut in eo Stoicam physicam, Stoicam etiam fabularum interpretationem exponeret.

§ III. *Ethica.*

Nunc tandem in ea philosophiæ parte versemur, quam Antiochus maxime necessariam longeque præstantissimam esse censebat. Hanc autem de vita et moribus doctrinam explanaturi, Pisonem imitemur, qui quidem in quinto *de Finibus* libro, de ista Carneadea primum agit divisione, qua adhibita, Noster, non modo quot fuissent, sed quot omnino esse possent de summo bono sententiæ, exponebat: inde enim jam discerni poterit quas acceperit, quas improbaverit de finibus bonorum et malorum sententias. Hæc fere sunt ipsius Pisonis verba[2]:

« Quum tria philosophis videantur esse principia naturalia, aut voluptatis appetitus, aut doloris vacuitas, aut ea quæ prima secundum naturam et in animo sunt et in corpore, necesse est ars vitæ, prudentia, in earum trium rerum aliqua versetur, a qua totius vitæ ducat exordium. Alii igitur omne officium referunt ad honestatem, ut Aristippus, alii ad non dolendum, ut

[1] *Acad.*, II, 37.

[2] Quæ de hac quæstione sequuntur collecta et expressa sunt e quinto *De Finibus* libro, c. 6, 7 et 8. — Cf. ib., c. 5 et 25. — Non parum proderit hæc loca conferre ubi Cicero, eadem divisione usus, illas solum omittit sententias quas esse sine patrono Antiochus fatetur. *Tusc.*, V, 30. — *Acad.*, II, 42, 45. — *De Fin.*, II, 11.

Hieronymus; alii ad prima illa secundum naturam obtinenda, cujus sententiæ Carneades, non auctor fuit, sed defensor disserendi causa. Voluptas autem semovenda est, et item vacuitas doloris (quæ in vicinitate versatur), quando ad majora nati sumus: nec vero alia sunt quærenda contra Carneadeam illam sententiam. Quocumque enim modo summum bonum sic exponitur, ut id vacet honestate, nec officia, nec virtutes in ea ratione, nec amicitiæ constare possunt.

« Exsistet autem recti ratio atque honesti, quæ cum aliquo ex his tribus congruere possit, ut honestum sit omnia facere, aut voluptatis causa, etiamsi eam non consequare, aut non dolendi, etiamsi id obtinere nequeas (duæ quidem sententiæ sine patrono), aut ut adipiscamur quæ secundum naturam sint, etiamsi ea non assequamur: hæc quidem tertia fuit Stoicorum doctrina.

« Sex igitur sunt simplices de summa bonorum malorumque sententiæ: quarum quatuor retentæ defensæque.

« Junctæ autem et duplices expositiones summi boni, tres omnino fuerunt: nec vero plures, si penitus rerum naturam videas, esse potuerunt. Nam ad honestatem adjunguntur, aut voluptas, ut Calliphoni Dinomachoque placuit; aut doloris vacuitas, ut Diodoro; aut prima naturæ, ut antiquis quos eosdem Academicos et Peripateticos nominamus.

« Conjunctio autem cum honestate vel voluptatis vel non dolendi, id ipsum honestum quod amplecti vult, efficit turpe; obscurantis est omnem splendorem honestatis, ne dicam inquinantis.

« Restant igitur hinc Academici et Peripatetici, hinc

Stoici qui ab istis omnia transtulerunt : sic, exclusis sententiis reliquorum, quum præterea nulla esse possit, hæc antiquorum valeat necesse est. Sola relinquitur hæc disciplina digna studiosis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna principibus, digna regibus.»

Novimus ergo quid censuerit Antiochus de summi boni natura, quam disciplinam, quos auctores secutus sit, qua de causa aliorum improbaverit sententias.

Nunc autem exquiramus, quæ fuerit, illo judice, antiqua illa de vita et moribus philosophia : quam quidem quum Piso in quinto *de Finibus* libro, et Varro, tum in *Academicis posterioribus*, tum apud Augustinum, exposuerint, nos, collatis trium Antiochi discipulorum verbis, ita in breve redigemus :

«Omne animal seipsum diligit, et ei primus ille est et ingeneratus ad omnem vitam tuendam appetitus (quem *ὁρμὴν* Græci vocant), ut seipsum conservet et ea, quæ naturæ apta sentit, appetat rejiciatque contraria.

«Summum illud esse bonum et rerum omnium expetendarum extremum, adeptum esse omnia quæ invitant et alliciunt hunc appetitum animi, omnia secundum naturam. Nulla igitur alia in re, nisi in natura, quærendum est summum illud bonum; et totius quæstionis de finibus bonorum et malorum fons reperiendus est in quo sint prima invitamenta naturæ[1].

«Quum autem naturæ sint diversæ, proprius ille cu-

[1] Quæ etiam vocantur : prima naturæ, prima naturæ commoda, prima naturæ incitamenta, res ad naturam accommodatæ, prima naturæ commendatio. — Hæc eadem primigenia Varro appellat, in libro *De philosophia*, ap. Aug., *Civ. Dei*,, XIX, c. 2.

jusque rei, animalis cujusque finis erit, ut natura ejus expleatur et se custodiat quam in optimo sui generis statu; hominis illud erit in bonis ultimum vivere ex hominis natura undique perfecta et nihil requirente[1].

« Intrandum est igitur in naturam rerum et penitus quid ea postulet pervidendum[2]. Perspicuum autem est hominem e corpore et ex animo constare, quorum primas partes melior longeque præstabilior animus tenet, corpus secundas[3]. Itaque hinc vitam omnibus animi et corporis expletam volumus, et cumulatur summum bonum ex integritate corporis et ex mentis ratione perfecta[4]; hinc optimæ cujusque partis et quæ plurimum habeat dignitatis virtus est expetenda maxime[5].

« Ut a corpore ordiamur, illud ab omni parte et valere et vigere opus est; id enim natura desiderat, quæ suis omnibus expleri partibus vult. Sunt igitur bona quædam corporis per se expetenda quorum alia posita in toto, ut valetudo, vires, pulchritudo, vacuitas doloris; alia in partibus, ut sensus integri et præstantia aliqua partium singularum, in pedibus celeritas, in manibus vis, in voce claritas, in lingua explanata vocum impressio[6].

« Animi autem partium est adspectus illustrior, quæ quo sunt excelsiores, eo dant clariora indicia naturæ:

[1] Hæc omnis quæstio de finibus bonorum et malorum et disputatio de summo bono explanatur a Pisone, *De Fin.*, V, 6, 9, 10, 11; a Varrone, *Acad.*, I, 5, 6. — Cf. Lucull., *Acad.*, II, 9 et 12.

[2] Piso, *De Fin.*, V, 15, 16, 21.

[3] Varro ap. Aug., *Civ. Dei.*, XIX, c. 3. — Piso, ib , c. 12, 13.

[4] Piso, c. 9 et 17. — Varro ap. Aug. — Id., *Acad.*, I, 5.

[5] Piso, c. 12, 13, 14.

[6] Varro, *Acad.*, I, c. 5. — Piso, c. 7, 12, 17. — Cic. ad Pisonem, *De Fin.*, V, 27.

ita enim est constitutus ut habeat præstantiam mentis, cui tota hominis natura pareat; in mente autem sit innatus amor cognitionis et scientiæ, innata agendi cupiditas et cernatur vis quædam mirabilis tum rationis, tum virtutum omnium[1].

« Horum autem quæ appetuntur animi bonorum duo sunt genera: unum virtutum quæ suapte natura ingenerantur appellanturque non voluntariæ, ut memoria et docilitas seu celeritas ad discendum; alterum bonorum ex moribus seu virtutum quæ in voluntate et consuetudine positæ, partim exercitationis assiduitate, partim ratione, partim progressione quadam formatæ, magis proprio nomine virtutes appellari solent[2].

« Virtus quidem naturam ducem sequitur[3]; sed natura induxit tantum elementa et semina, et quasi igniculos et scintillulas virtutis, ut in optima quaque indole honesta adumbrentur[4]. Nostrum est quod illa inchoaverit perficere, ad ea principia quæ accepimus consequentia exquirere, ut, rationem subsequentes, ad vitam his principiis consentientem et respondentem perveniamus; et ita virtus discitur voluntariaque ac tota nostra est[5].

« Omnes animi virtutes suapte natura propter se esse expetendas, jam indicant pueri et in optima quaque indole magis apparet[6]. Quum autem ea maxime sint

1 Piso, V, 12, 18. — De isto scientiæ amore, ib., c. 18, 19; de agendi cupiditate, ib., c. 20, 21.

2 De ista animi bonorum divisione, Piso, c. 13. — Varro, *Acad.*, I, 5.

3 Varro ap. Aug. — Piso, c. 15, 21, 23, 24.

4 Piso, c. 7, 15 et 21.

5 Piso, c. 13 et 21. — Varro, *Acad.*, I, 5. — Id., ap. Aug. — Cf. Lucull., *Acad.*, II, 9, 10, 12.

6 Piso, c. 22, 23.

expetenda quæ sunt magis in suo genere laudabilia, ita fiet ut animi virtutes non voluntarias vincant voluntariæ. In homine enim summa omnis animi est et in animo rationis, qua nihil divinius: virtus autem, quippe quæ naturæ sit perfectio et rationis absolutio[1], omnium in animo positarum una res est optima, et ideo excellens est ejus in animorum laude præstantia et merito ad illam omnis honos, omnis admiratio, omne studium refertur[2].

«Voluntariarum omnium virtutum est conspiratio quædam et quasi confusio: quum autem prudentia, temperantia, fortitudo et justitia ita inter se copulatæ connexæque sint, illustrior tamen illa est et latius patet, quæ societatem conjunctionis humanæ mirifice et æque tuetur[3].

«Homo quum habeat quiddam innatum quasi civile atque populare, quod Græci *πολιτικὸν* vocant, pars est quædam civitatis isque conjunctus cum hominibus humana quadam societate et caritate: ita ut parentes, liberi, fratres, propinqui, affines, amici, socii, omnes denique sua sponte cari et propter se expetendi sint.

«Duo igitur genera propter se expetendorum reperiuntur: hinc animi et corporis bona, quibus completur illud extremum; hinc autem illa externa, quæ si summo bono continerentur, summum bonum nullus unquam assequi posset[4].

«Hæc tamen externa, quum ad virtutis usum valeant, ad summum bonum quadam ratione referuntur: est

[1] Piso, c. 13, 14, 15 et 21. — Varro, *Acad*, I, 6.
[2] Piso, c. 21, 23, 24. — Varro ap. Aug.
[3] Piso, c. 23. Cf. c. 13.
[4] Piso, c. 23.

enim in justitia ceterisque virtutibus cura quædam quasi foras spectans, aliosque appetens atque complectens, ita ut amicitias, propinquitates, parentis et patriæ cultum et communicationem utilitatum, quod ita fungi officio in recte factis est, tueamur[1].

«Virtus autem, quum sit absolutissimum atque excellentissimum bonum, nihil sibi præponit; utitur autem et seipsa et propter seipsam ceteris, ut quæque inter se majora atque minora sunt; et sæpissime quæ expetenda viderentur, propter majora vel adipiscenda vel tenenda, contemnit. Prima naturæ, corporis nempe et animi bona, quæ sine illa erant, sed tamen erant quando eis doctrina adhuc deerat, accipit et illis perfruitur et delectatur; nec minus cernitur quum externa, quæ summo bono non continentur, sed ad usum suum sunt idonea, tuetur officiis[2].

«Ubi vero ipsa non est, quamvis multa sint bona, non bono ejus sunt, cujus sunt: ac per hoc jam esse nec ejus bona dicenda sunt, cui male utenti utilia esse non possunt[3].

«Ea contra vis est virtutis et tanta auctoritas ut vita quæ virtute fruitur[4] beata esse dicatur; beatior qui-

[1] Piso, c. 23, 24. — Cum isto consentit Varro ap. Aug., qui summum bonum ex animi et corporis bonis constare dicit, hæc autem externa ad socialem virtutem refert. — Varro in *Acad*, 1, 5 et 6, tripartitam bonorum rationem Peripatetico more inducit; quum autem summum bonum ex animi et corporis et vitæ bonis constituere videatur, hæc tamen dicit tertia ad virtutis usum valere, et beatæ vitæ adjuncta esse ad summum et naturale bonum aut adaugendum aut tuendum.

[2] Varro ap. Aug. — Id., *Acad.*, I, 5, 6. — Piso, c. 16, 23 et 24.

[3] Varro ap. Aug.

[4] Varro quidem (ap. Aug.) virtuti quædam animi et corporis bona adjungit, ut vitam, memoriam, rationem, sine quibus non potest esse ulla doctrina, ac per hoc nec virtus, quæ utique discitur. — Cf. Varr., *Acad.*, I, 5. — Cic, *Acad*, II, 43.

dem illa est quæ ceteris bonis vel ullis vel pluribus, beatissima quæ prorsus omnibus, ut nullum omnino vel animi vel corporis vel externum et adjunctum bonum desit. Sed virtutum compotes homines, magno animo erectoque viventes, semper sunt beati; nam reliqua omnia tam parva sunt, ut iis nulla videantur: omnes fortunæ motus mutationesque rerum et temporum levia imbecillaque erunt, si in certamen virtutis venerint; et bona corporis ita exiguæ sunt accessiones bonorum ut in virtutum splendore ne cernantur quidem[1].

«Ita natura semper præeunte ac duce, cujus commendationes, primum occultæ et incertæ, paulatim perspectæ confirmantur, hominis ratio et doctrina, voluntas et consuetudo, mirabili quadam progressione, ad virtutem simul et beatam vitam, quæ duo maxime sunt expetenda, perveniunt: ita a principiis naturæ completa et perfecta ducitur explicatio summi boni conformatioque omnium officiorum.»

Sic exposuerunt Antiochii, auctore magistro, antiquam illam, ut ipsi dicebant, philosophiam, quam Antiochus unam et eamdem fuisse Platonis et Aristotelis profitebatur; reipsa, ex eodem fonte hauriens ex quo Stoici, illam ab Academicis et Peripateticis recentioribus, imprimis a Polemone et Theophrasto acceperat, et discipulis suis tam dissimilem sui tradiderat, ut Stoicorum propria verba germanasque sententias usurpare non dubitaret.

Quid autem ex illa antiqua philosophia acceperit, quid rejecerit, Ciceronis testimonia, dum silent veteres alii, satis declarant.

[1] Varro ap. Aug. — Id., *Acad*, I, 6. — Piso, c. 24, 26, 30, 31, 32. — Cic., *De Fin*, V, c. 26, sqq.

Antiochô summum bonum et finis expetendorum erat « honeste vivere, fruentem rebus iis quas primas homini « natura conciliet[1]. » Ita ei « multa præter virtutem par- « tim cara esse, partim etiam necessaria, præter hones- « tatem multa bona, præter turpitudinem multa mala « esse videbantur[2]. » Quædam igitur esse et corporis et fortunæ mala dicebat, ita ut tria essent genera malorum[3].

Ne autem cum Peripateticis nimium consentire videatur Antiochus, quid, de istis et corporis et fortunæ bonis, censuerit, exquiramus.

Antiocho judice, bona corporis et fortunæ beatissimam quidem vitam complebant, sed ita ut sine illis posset beata vita exsistere[4]; de istis igitur ipse dicebat multo melius et fortius quam Peripatetici, qui multum in fortuna secunda aut adversa, multum in bonis aut malis corporis ponebant[5]. Ac præcipue, quum plus in virtute firmitatis ac roboris teneret, de externis parcius agebat[6]; et Theophrastum accusasse videtur, cujus delicatior molliorque ratio nimium fortunæ daret, et ita virtutis nervos incideret[7]. Nil mirum igitur Pisonem in quinto *de Finibus* libro, et Varronem apud Augustinum, de summo bono agentes, externa illa et fortunæ bona vix nominavisse; Varronemque in *Academicis posterioribus*, ea tertio loco posita, duntaxat ad summum bonum augendum fuisse adjuncta dixisse. Vix proprium enim ac definitum locum hæc bona, Antiocho judice, obti-

1 *Acad.*, II, 42.
2 *Acad.*, II, 43, 44. — *Tusc.*, V, 8.
3 Ib.
4 Passim, et *De Fin.*, V, 24.
5 Ib., 25.
6 Ib., 27.
7 Varro, *Acad.*, I, 9, 10. — Piso, *De Fin.*, V, 5.

nuisse crediderim. Hinc, ut vidimus, ad virtutis usum valebant; deinde ad corporis bona, «quum hæc essent «eorum conficientia» referri poterant[1]; alia autem ratione externa simul et ad corpus pertinentia, quum eorum omnium fortuna domina esset, uno nomine fortunæ bona dici[2], et ita animi bonis et virtuti opponi poterant.

Antiochus quum virtuti plurimum tribueret, propius ad Stoicos accedere videbatur.

Hæc autem corporis commodorum, parva quidem ad beate vivendum, momenta, nulla dicere et pro nihilo putare, nimis violentum et gloriosum esse censebat[3]. Pro jure suo agere arbitrabatur, nec a Stoicis dissentire, quum ea quæ isti aspera, incommoda, rejicienda, aliena naturæ vocarent, ipse mala, exigua tamen, diceret; quum ea quæ isti commoda et secundum naturam, quæ sumenda et eligenda et præponenda, ipse bona et expetenda diceret: non enim refert quo nomine ista dicantur, sed quanti æstimentur; et illi satis consentiunt qui tantam affirmant vim esse virtutis, ut omnia, si ex altera parte ponantur, ne appareant quidem[4].

De ea re sæpe Antiocho cum Cicerone dissensio fuerat; et quum iste Stoicorum partes, exercitationis causa, suscipiens, inconstantiæ crimen Antiocho objiceret: «Si Stoicis concedis, aiebat Antiochus, ut virtus sola, si adsit, vitam efficiat beatam, mihi concedis etiam: nam si potest esse beatus is, qui est in asperis rejiciendisque rebus, potest is quoque esse, qui est in

1 Piso, *De Fin.*, V, 27.
2 *Tusc.*, V, 9.
3 *De Fin.*, V, 24.
4 Piso, *De Fin.*, V, 24, sqq. — Idem jam dixerat Carneades de Peripateticis et Stoicis; *Tusc.*, V, 41

exiguis malis et porro minimis. Quam Zeno præponendam et magis eligendam, beatiorem hanc vitam appello: nec ullo minimo momento plus ei vitæ tribuo, quam Stoici[1].

« At enim, qua in vita est aliquid mali, ea esse beata non potest! Ne seges quidem igitur spicis uberibus et crebris, si avenam uspiam videris; nec mercatura quæstuosa, si in maximis lucris parum aliquid damni contraxerit. Quis neget ex eo quod maximas partes continet latissimeque funditur, totam rem appellari? Vires, valetudo, divitiæ, honores, gloria, etiam si qua pars absit, genere, non numero, cernuntur : in vita autem et in rebus humanis, ita maximam partem obtinet virtus, ut ejus magnitudine mala omnia obruantur; item beata vita, etiam si ex aliqua parte clauderet, tamen ex multo majore parte obtineret nomen suum[2].

« Quum autem, ubi sit virtutis divina præstantia, esse miseria et ærumna non possit, tamen labor possit et molestia; non dubito dicere, omnes sapientes semper beatos esse, sed tamen fieri posse, ut sit alius alio beatior[3]. »

Hactenus antiquæ philosophiæ magis quam Stoicorum affinis esse, suæ doctrinæ elementa a Polemone accepisse, et recentiorum Stoicorum temperatam disciplinam sequi videtur Antiochus : ita Zenonem, virtuti plus tribuentem quam natura patiatur, reprehendit, et, ambitiosa recidens, Stoicorum illud decretum, omnia peccata esse paria, vehementissime improbavit[4].

[1] Piso, *De Fin* , V, 26, 29.
[2] *Tusc.*, V, 8. — Cf. Pisonem, *De Fin.*, V, 30.
[3] Piso, *De Fin.*, V, 32.
[4] *Acad.*, II, 43.

Deinceps autem, ut qui virtutem tanti, quanti Stoici, faceret, sapientemque sibi fingeret, minime illi, quem Stoici finxerant, sapienti imparem, oblivisci videtur, quæ ipse bona enumeraverit, quid sit juris sui; et, quasi virtutem in bonis solam posuisset, vix audet a Stoicis dissentire et proprii arbitrii esse.

Cum Zenone enim sentiebat sapientis animum nunquam nec cupiditate moveri nec lætitia efferri, sapientem nunquam timere, nunquam dolere : « illud quidem « satis durum, ait Cicero, sed Zenoni necessarium, cui, « præter honestum, nihil est in bonis; tibi vero, Antioche, « minime; cui, præter honestatem, multa bona; præter « turpitudinem, multa mala videntur; quæ et venientia « metuat sapiens necesse est et venisse doleat. Sed « quæro, quando ista fuerint ab Academia veteri de- « creta, ut animum sapientis commoveri et conturbari « negarent? Atrocitas quidem illa tua quo modo in ve- « terem Academiam irruperit, nescio[1]. »

Antiochus etiam, quum sapienti undique perfecto et absoluto nihil deesse vellet, ab Aristotele et Xenocrate non minus dissentiebat. Zenone enim auctore, sapientes solos divites, formosos, liberos, scientiæ compotes, quasi balbutiens, contendebat[2].

Ea fuit Antiochi doctrina de vita et moribus.

Antiquæ philosophiæ se fautorem, ac Platonis, Aristotelis discipulum profitebatur; scripta Polemonis probabat maxime[3].

Stoicorum autem tantum auctoritas apud eum vale-

[1] *Acad.*, II, 43, 44.
[2] *Acad.*, II, 44, 45, 47.
[3] *Acad*, II, 42, 43, 45.

bat, ut hinc Academicorum et Peripateticorum decretis Stoicum quasi colorem offunderet, et antiquam hanc philosophiam Stoica mente interpretaretur[1]; hinc cum Zenone et Antipatro in plerisque consentiret, et, si perpauca mutavisset, germanissimus fuisset Stoicus[2].

« Aut Stoicus constituatur sapiens, ait Cicero, aut « veteris Academiæ; utrumque non potest[3]. » Itaque Antiochus, tum Academiæ veteris, tum Stoicorum causam suscipiens, infidus, inconstans ac levis, videbatur.

Tum Academiam et Peripateticos deserit, ut cum Stoicis fortius dicat[4]; tum quos majores invocaverit, quid natura et recta ratio velint, meminisse videtur, et dissentit quibusdam in rebus ab iis quos amat Stoicis[5]; ita ut Stoici ista omnia Antiochia contemnant[6], nec Noster sit acceptus Academicis.

CAPUT TERTIUM.

Quid Antiocho tum Varro et Cicero, tum Potamo debuerint.

Expositis Antiochi sententiis, jam quæramus quid ex iis hinc Varro et Cicero, illinc Potamo traxisse videantur; ut facilius inde quantam auctoritatem ejus doctrina apud veteres habuerit, perspiciatur.

Quum Antiochus hanc partem, quæ ad mores vitamque pertinet, in philosophia primam esse et maxime

[1] Sext. Emp. *Hyp. Pyrrh.*, I, c. 33, § 235.
[2] *Acad.*, II, 43, 45.
[3] *Acad*, II, 43.
[4] V. maxime *De Fin.*, V, 25. — *Acad.*, II, 44, 45.
[5] *Acad.*, II, 43.
[6] *Acad.*, II, 36. Ubi de Diodoto Ciceronis magistro ac familiari agitur.

necessariam arbitraretur, haud aliter Varro: «Nulla est, «inquit, homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit. «Quod autem beatum facit, ipse est finis boni: quam-«obrem quæ nullum boni finem sectatur, nulla philo-«sophiæ secta dicenda est[1].»

Idemque, de tam multa sectarum varietate disserens, recensuit sectas, non quæ jam essent, sed quæ esse possent; et ita inceptum illud persecutus est, ut Antiochum ipsum diligentius et subtilius ista scrutantem audire videamur[2].

Ab his enim oritur quæ homines sine magistro, sine ullo doctrinæ adminiculo, sine industria et arte vivendi, velut naturaliter, appetunt; et ex his principiis, quæ esse possint sententiæ, variis adhibitis differentiis, exsequitur; quarum quum plurimæ sint rejiciendæ, tres tantum supersunt, quum vel virtus et prima naturæ, quæ primigenia dicit, propter seipsa possint expeti, vel prima naturæ propter virtutem, vel virtus propter prima naturæ. Hæc autem vita deformis esset quidem, quippe ubi virtus serviret dominæ voluptati ceterisque primigeniis, et nullo modo dicenda esset virtus. Exclusis igitur reliquorum sententiis aut Academica illa, aut altera, Stoicorum nempe, valeat necesse est.

«Refutatis ceteris, ait Augustinus, unam Varro eligit, «quam vult esse Academicorum veterum, quos a Platone «institutos usque ad Polemonem, qui ab illo quartus «ejus scholam tenuit, quæ Academia dicta est, habuisse «certa dogmata vult videri: et ob hoc distinguit ab «Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, quod «philosophiæ genus ab Arcesila cœpit, successore Po-

[1] E lib. *De Philosophia*, ap. Aug., *Civ. Dei.* XIX, c. 1 et 2.

[2] Ib., c. 1, sqq.

« lemonis : eamque sectam, id est veterum Academico-« rum, sicut dubitatione, ita omni errore carere arbi-« trabatur[1]. »

Obiter animadvertamus Varronem cum Antiocho duas arbitrari fuisse Academias. Hujus autem veteris, auctore eodem Antiocho, sententiam de vita et moribus exponebat : quam quidem libri *de Philosophia* partem ab Augustino servatam[2], jam contulimus cum Tullii *Academicis posterioribus* et quinto *de Finibus* libro.

Hanc autem Academiæ veteris doctrinam Varro, non modo exponebat, sed etiam, ut memorant Cicero et Augustinus, pro sua tuebatur; quod satis demonstrant variæ libri supra laudati sententiæ; censet enim Varro, iis quæ sine ullo doctrinæ adminiculo velut naturaliter appetantur, virtutem longe præstare; industriam nempe et artem vivendi, quæ discitur, et, quum non sit in primis naturæ, postea, doctrina introducente, supervenit, et sibi bonorum culmen vindicat humanorum[3]; ita ut cetera in virtutis usum assumantur, propter virtutis officium expetenda sint, ut vivere patriæ et propter patriam filios procreare[4].

Ea quidem ratio, quam Academiæ veteris vult videri, a Stoicorum sententiis vix aberat[5] : quid mirum, quum

[1] Ib., c. 1. — Cf. c. 4.

[2] Ib., c. 3. — Cf. Augustinum Platonicam doctrinam iisdem verbis exponentem, ib., VIII, c. 8.

[3] Ib., c. 1 et 4.

[4] Ib., c. 1 et 2.

[5] Quod animadvertebat Augustinus : « Refutatis ceteris unam Varro eligit, quam vult esse Academicorum veterum. » Ib., c. 1. — « Hæc sensisse atque docuisse Academicos veteres, Varro asserit, auctore Antiocho, quem sane Cicero in pluribus Stoicum, quam veterem Academicum vult videri; sed quid ad nos?... » Ib., c. 3.

Antiochum istum, in Academia germanissimum pene Stoicum, sequi se profiteatur?

In iis quæ ad physica pertinent, cum Stoicis consentiebat Varro, et Zenonis, Cleanthis, Chrysippi, Antipatri, Ælii a quo institutus erat, auctoritatem maxime probabat[1]. Eorum instar quadripartitione ista utebatur, ut quis ageret, ubi et quando et quid ageret, in omni re exquireret[2]; animam in octonas partes dividebat[3], quarum principatum ea pars obtinebat, quæ cogitatio, ratio, *ἡγεμονικὸν* dicitur[4].

Quæ autem sit animi natura, quid sit anima et in homine et in mundo, satis Augustini verba declarant: « Varro arbitrabatur Deum esse animam mundi, quem « Græci *κόσμον* vocant, et hunc ipsum mundum esse « Deum; sed sicut hominem sapientem, quum sit ex « corpore et animo, tamen ab animo dici sapientem, ita « mundum Deum dici ab animo, quum sit ex animo et « corpore. Hic videtur quoquo modo confiteri unum « Deum; sed ut plures etiam introducat, adjungit mun- « dum dividi in duas partes, cœlum et terram, et cœ- « lum bifariam in æthera et aera, terram vero in aquam « et humum; e quibus summum esse æthera, secundum « aera, tertiam aquam, infimam terram; quas omnes « partes quatuor animarum esse plenas, in æthere et in « aere immortalium, in aqua et in terra mortalium[5]...»

Haud aliter in libro *De lingua latina* Varro duplicem dicit esse causam nascendi ignem et aquam, quæ sint

[1] *De Ling. lat.* passim. — Aug., *Civ. Dei.* VI et VII.
[2] *De Ling. lat.*, V, 11. — Aug., *Civ. Dei.* VI, 8.
[3] *De Ling. lat.*, IX, § 30.
[4] Ib. et *Civ. Dei.* VII, c. 23.
[5] Ex *Ant. rer. div.* in *Civ. Dei.* VII, c. 6.

quasi mas et femina, anima et corpus, « quibus junctis « cœlum et terra omnia exgenuerunt, quod per hos na« tura[1].» Quibus quidem ex principiis illa defluebat priscas religiones liberius interpretandi ratio, qua utebatur idem in *Antiquitatibus rerum divinarum* et cujus exempla quædam in libris *De lingua latina* reperiuntur[2].

In ea igitur quæstione quæ de vita et moribus habetur, Varro Academiæ veteris partes palam amplectebatur, reipsa istam Antiochi Stoicam potius quam Academicam doctrinam receperat. In physicis autem e Stoicis totus pendebat; a quibus ne minima quidem in re Antiochum dissensisse credimus: ita ut in Stoicam sententiam, et Ælii et Antiochi auctoritate, Varronis animus impelleretur.

Quid Cicero magistrorum suorum unicuique debuerit perpendere tentanti, duo maxime obstant, quum hinc eorum fere nemo sectæ suæ peculiarem doctrinam et integram rationem retinuisset, illinc Cicero, in contrarias partes disputare solitus et illa probans quæ simillima veri videantur, non certam quamdam et constitutam philosophiam tutetur.

Quum ita Carneadis et Philonis institutum sequeretur, quum illam veterem Academiam hujus recentioris quæ lucem eriperet et rebus quasi noctem quamdam offunderet, vix dissimilem arbitraretur, Cicero longissime prorsus ab Antiochi sententia aberat.

Inde inductus est ut illum impugnaret, qui antiquam philosophiam et certa ejus dogmata proferens, et mediam et novam Academiam aggressus erat; inde ut eos

[1] V. § 57, sqq.
[2] *Civ. Dei*, VI et VII. — *De Ling. lat.*, V, 57, sqq.

Academicorum priorum et posteriorum libros conscriberet, ubi quæ erant contra *ἀκαταληψίαν* ab Antiocho collecta diligenter expresserat copiosiusque refellebat, ita tamen ut utramque rationem veram sibi videri, et se Antiochi quidem illa vehementer *πιθανὰ* interdum probare, his valde moveri fateretur [1].

Eam enim dat ei Academia licentiam, ut quidquid verisimillimum occurrat, id suo jure retineat. Quum igitur, liberior ac solutior, nullius disciplinæ legibus adstrictus sit, quid in quaque re, in quaque doctrina, maxime sit probabile, requirere et defendere studebit. Qua venia usus, recensendis conferendisque philosophorum placitis, præcipue dedit operam, ut ea quæ contraria, ea quæ communia admisissent, notaret et perpenderet, verisimilia quæque admitteret.

Nec aliter Antiochi auctoritas eum commovebat ut præstantissimas omnes disciplinas conferret et inter se componeret; quem quidem secutus Cicero, eos qui in Academia veteri cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserant, et eos qui Aristotelem et Theophrastum secuti, Peripatetici vocati sunt, rebus congruere, verbis paulum differre arbitratus est [2]: nec fuisse causam cur ab istorum superiorum institutione dissiderent Stoici; sed hos idem alio modo dixisse et, rebus non commutatis, immutavisse vocabula, ita ut inter eos non rerum, sed verborum discordia esset [3].

Antiochum etiam imitatus, nihil majore studio quæ-

[1] *Ad Att.* XIII, ep. 19, et *Acad.* II, 35.
[2] *Tusc.*, IV, 3. — V, 30. — *De Leg.*, I, 13. — *De Off.*, I, 1. — II, 2. — III, 4. — *De Orat.*, III, 18.
[3] *Tusc.*, IV, 3. — V, 11. — *De Leg.*, I, 13, 20, 21. — *De Fin.*, IV, 1, 2, 5, 6, 22, 28. — *Acad.*, I, 12.

Antiocho summum bonum et finis expetendorum erat « honeste vivere, fruentem rebus iis quas primas homini « natura conciliet[1]. » Ita ei « multa præter virtutem par- « tim cara esse, partim etiam necessaria, præter hones- « tatem multa bona, præter turpitudinem multa mala « esse videbantur[2]. » Quædam igitur esse et corporis et fortunæ mala dicebat, ita ut tria essent genera malorum[3].

Ne autem cum Peripateticis nimium consentire videatur Antiochus, quid, de istis et corporis et fortunæ bonis, censuerit, exquiramus.

Antiocho judice, bona corporis et fortunæ beatissimam quidem vitam complebant, sed ita ut sine illis posset beata vita exsistere[4]; de istis igitur ipse dicebat multo melius et fortius quam Peripatetici, qui multum in fortuna secunda aut adversa, multum in bonis aut malis corporis ponebant[5]. Ac præcipue, quum plus in virtute firmitatis ac roboris teneret, de externis parcius agebat[6]; et Theophrastum accusasse videtur, cujus delicatior molliorque ratio nimium fortunæ daret, et ita virtutis nervos incideret[7]. Nil mirum igitur Pisonem in quinto *de Finibus* libro, et Varronem apud Augustinum, de summo bono agentes, externa illa et fortunæ bona vix nominavisse; Varronemque in *Academicis posterioribus*, ea tertio loco posita, duntaxat ad summum bonum augendum fuisse adjuncta dixisse. Vix proprium enim ac definitum locum hæc bona, Antiocho judice, obti-

1 *Acad.*, II, 42.
2 *Acad.*, II, 43, 44. — *Tusc.*, V, 8.
3 Ib.
4 Passim, et *De Fin.*, V, 24.
5 Ib., 25.
6 Ib., 27.
7 Varro, *Acad.*, I, 9, 10. — Piso, *De Fin.*, V, 5.

nuisse crediderim. Hinc, ut vidimus, ad virtutis usum valebant; deinde ad corporis bona, « quum hæc essent « eorum conficientia » referri poterant[1]; alia autem ratione externa simul et ad corpus pertinentia, quum eorum omnium fortuna domina esset, uno nomine fortunæ bona dici[2], et ita animi bonis et virtuti opponi poterant.

Antiochus quum virtuti plurimum tribueret, propius ad Stoicos accedere videbatur.

Hæc autem corporis commodorum, parva quidem ad beate vivendum, momenta, nulla dicere et pro nihilo putare, nimis violentum et gloriosum esse censebat[3]. Pro jure suo agere arbitrabatur, nec a Stoicis dissentire, quum ea quæ isti aspera, incommoda, rejicienda, aliena naturæ vocarent, ipse mala, exigua tamen, diceret; quum ea quæ isti commoda et secundum naturam, quæ sumenda et eligenda et præponenda, ipse bona et expetenda diceret: non enim refert quo nomine ista dicantur, sed quanti æstimentur; et illi satis consentiunt qui tantam affirmant vim esse virtutis, ut omnia, si ex altera parte ponantur, ne appareant quidem[4].

De ea re sæpe Antiocho cum Cicerone dissensio fuerat; et quum iste Stoicorum partes, exercitationis causa, suscipiens, inconstantiæ crimen Antiocho objiceret: « Si Stoicis concedis, aiebat Antiochus, ut virtus sola, si adsit, vitam efficiat beatam, mihi concedis etiam: nam si potest esse beatus is, qui est in asperis rejiciendisque rebus, potest is quoque esse, qui est in

[1] Piso, *De Fin.*, V, 27.
[2] *Tusc.*, V, 9.
[3] *De Fin.*, V, 24.
[4] Piso, *De Fin.*, V, 24, sqq. — Idem jam dixerat Carneades de Peripateticis et Stoicis; *Tusc.*, V, 41

exiguis malis et porro minimis. Quam Zeno præponendam et magis eligendam, beatiorem hanc vitam appello: nec ullo minimo momento plus ei vitæ tribuo, quam Stoici[1].

« At enim, qua in vita est aliquid mali, ea esse beata non potest! Ne seges quidem igitur spicis uberibus et crebris, si avenam uspiam videris; nec mercatura quæstuosa, si in maximis lucris parum aliquid damni contraxerit. Quis neget ex eo quod maximas partes continet latissimeque funditur, totam rem appellari? Vires, valetudo, divitiæ, honores, gloria, etiam si qua pars absit, genere, non numero, cernuntur : in vita autem et in rebus humanis, ita maximam partem obtinet virtus, ut ejus magnitudine mala omnia obruantur; item beata vita, etiam si ex aliqua parte clauderet, tamen ex multo majore parte obtineret nomen suum[2].

« Quum autem, ubi sit virtutis divina præstantia, esse miseria et ærumna non possit, tamen labor possit et molestia; non dubito dicere, omnes sapientes semper beatos esse, sed tamen fieri posse, ut sit alius alio beatior[3]. »

Hactenus antiquæ philosophiæ magis quam Stoicorum affinis esse, suæ doctrinæ elementa a Polemone accepisse, et recentiorum Stoicorum temperatam disciplinam sequi videtur Antiochus : ita Zenonem, virtuti plus tribuentem quam natura patiatur, reprehendit, et, ambitiosa recidens, Stoicorum illud decretum, omnia peccata esse paria, vehementissime improbavit[4].

[1] Piso, *De Fin* , V, 26, 29.
[2] *Tusc.*, V, 8. — Cf. Pisonem, *De Fin.*, V, 30.
[3] Piso, *De Fin.*, V, 32.
[4] *Acad.*, II, 43.

Deinceps autem, ut qui virtutem tanti, quanti Stoici, faceret, sapientemque sibi fingeret, minime illi, quem Stoici finxerant, sapienti imparem, oblivisci videtur, quæ ipse bona enumeraverit, quid sit juris sui; et, quasi virtutem in bonis solam posuisset, vix audet a Stoicis dissentire et proprii arbitrii esse.

Cum Zenone enim sentiebat sapientis animum nunquam nec cupiditate moveri nec lætitia efferri, sapientem nunquam timere, nunquam dolere : « illud quidem « satis durum, ait Cicero, sed Zenoni necessarium, cui, « præter honestum, nihil est in bonis; tibi vero, Antioche, « minime; cui, præter honestatem, multa bona; præter « turpitudinem, multa mala videntur; quæ et venientia « metuat sapiens necesse est et venisse doleat. Sed « quæro, quando ista fuerint ab Academia veteri de- « creta, ut animum sapientis commoveri et conturbari « negarent? Atrocitas quidem illa tua quo modo in ve- « terem Academiam irruperit, nescio[1]. »

Antiochus etiam, quum sapienti undique perfecto et absoluto nihil deesse vellet, ab Aristotele et Xenocrate non minus dissentiebat. Zenone enim auctore, sapientes solos divites, formosos, liberos, scientiæ compotes, quasi balbutiens, contendebat[2].

Ea fuit Antiochi doctrina de vita et moribus.

Antiquæ philosophiæ se fautorem, ac Platonis, Aristotelis discipulum profitebatur; scripta Polemonis probabat maxime[3].

Stoicorum autem tantum auctoritas apud eum vale-

[1] *Acad.*, II, 43, 44.
[2] *Acad.*, II, 44, 45, 47.
[3] *Acad*, II, 42, 43, 45.

bat, ut hinc Academicorum et Peripateticorum decretis Stoicum quasi colorem offunderet, et antiquam hanc philosophiam Stoica mente interpretaretur[1]; hinc cum Zenone et Antipatro in plerisque consentiret, et, si perpauca mutavisset, germanissimus fuisset Stoicus[2].

« Aut Stoicus constituatur sapiens, ait Cicero, aut « veteris Academiæ; utrumque non potest[3]. » Itaque Antiochus, tum Academiæ veteris, tum Stoicorum causam suscipiens, infidus, inconstans ac levis, videbatur.

Tum Academiam et Peripateticos deserit, ut cum Stoicis fortius dicat[4]; tum quos majores invocaverit, quid natura et recta ratio velint, meminisse videtur, et dissentit quibusdam in rebus ab iis quos amat Stoicis[5]; ita ut Stoici ista omnia Antiochia contemnant[6], nec Noster sit acceptus Academicis.

CAPUT TERTIUM.

Quid Antiocho tum Varro et Cicero, tum Potamo debuerint.

Expositis Antiochi sententiis, jam quæramus quid ex iis hinc Varro et Cicero, illinc Potamo traxisse videantur; ut facilius inde quantam auctoritatem ejus doctrina apud veteres habuerit, perspiciatur.

Quum Antiochus hanc partem, quæ ad mores vitamque pertinet, in philosophia primam esse et maxime

[1] Sext. Emp. *Hyp. Pyrrh.*, I, c. 33, § 235.
[2] *Acad.*, II, 43, 45.
[3] *Acad*, II, 43.
[4] V. maxime *De Fin.*, V, 25. — *Acad.*, II, 44, 45.
[5] *Acad.*, II, 43.
[6] *Acad.*, II, 36. Ubi de Diodoto Ciceronis magistro ac familiari agitur.

necessariam arbitraretur, haud aliter Varro : « Nulla est, « inquit, homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit. « Quod autem beatum facit, ipse est finis boni : quam- « obrem quæ nullum boni finem sectatur, nulla philo- « sophiæ secta dicenda est[1].»

Idemque, de tam multa sectarum varietate disserens, recensuit sectas, non quæ jam essent, sed quæ esse possent; et ita inceptum illud persecutus est, ut Antiochum ipsum diligentius et subtilius ista scrutantem audire videamur[2].

Ab his enim oritur quæ homines sine magistro, sine ullo doctrinæ adminiculo, sine industria et arte vivendi, velut naturaliter, appetunt; et ex his principiis, quæ esse possint sententiæ, variis adhibitis differentiis, exsequitur; quarum quum plurimæ sint rejiciendæ, tres tantum supersunt, quum vel virtus et prima naturæ, quæ primigenia dicit, propter seipsa possint expeti, vel prima naturæ propter virtutem, vel virtus propter prima naturæ. Hæc autem vita deformis esset quidem, quippe ubi virtus serviret dominæ voluptati ceterisque primigeniis, et nullo modo dicenda esset virtus. Exclusis igitur reliquorum sententiis aut Academica illa, aut altera, Stoicorum nempe, valeat necesse est.

« Refutatis ceteris, ait Augustinus, unam Varro eligit, « quam vult esse Academicorum veterum, quos a Platone « institutos usque ad Polemonem, qui ab illo quartus « ejus scholam tenuit, quæ Academia dicta est, habuisse « certa dogmata vult videri : et ob hoc distinguit ab « Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, quod « philosophiæ genus ab Arcesila cœpit, successore Po-

[1] E lib. *De Philosophia*, ap. Aug., *Civ. Dei.* XIX, c. 1 et 2.
[2] Ib., c. 1, sqq.

« lemonis : eamque sectam, id est veterum Academico-
« rum, sicut dubitatione, ita omni errore carere arbi-
« trabatur[1]. »

Obiter animadvertamus Varronem cum Antiocho duas arbitrari fuisse Academias. Hujus autem veteris, auctore eodem Antiocho, sententiam de vita et moribus exponebat : quam quidem libri *de Philosophia* partem ab Augustino servatam[2], jam contulimus cum Tullii *Academicis posterioribus* et quinto *de Finibus* libro.

Hanc autem Academiæ veteris doctrinam Varro, non modo exponebat, sed etiam, ut memorant Cicero et Augustinus, pro sua tuebatur; quod satis demonstrant variæ libri supra laudati sententiæ; censet enim Varro, iis quæ sine ullo doctrinæ adminiculo velut naturaliter appetantur, virtutem longe præstare; industriam nempe et artem vivendi, quæ discitur, et, quum non sit in primis naturæ, postea, doctrina introducente, supervenit, et sibi bonorum culmen vindicat humanorum[3]; ita ut cetera in virtutis usum assumantur, propter virtutis officium expetenda sint, ut vivere patriæ et propter patriam filios procreare[4].

Ea quidem ratio, quam Academiæ veteris vult videri, a Stoicorum sententiis vix aberat[5] : quid mirum, quum

[1] Ib., c. 1. — Cf. c. 4.

[2] Ib., c. 3. — Cf. Augustinum Platonicam doctrinam iisdem verbis exponentem, ib., VIII, c. 8.

[3] Ib., c. 1 et 4.

[4] Ib., c. 1 et 2.

[5] Quod animadvertebat Augustinus : « Refutatis ceteris unam Varro eligit, quam vult esse Academicorum veterum. » Ib., c. 1. — « Hæc sensisse atque docuisse Academicos veteres, Varro asserit, auctore Antiocho, quem sane Cicero in pluribus Stoicum, quam veterem Academicum vult videri; sed quid ad nos?... » Ib., c. 3.

Antiochum istum, in Academia germanissimum pene Stoicum, sequi se profiteatur?

In iis quæ ad physica pertinent, cum Stoicis consentiebat Varro, et Zenonis, Cleanthis, Chrysippi, Antipatri, Ælii a quo institutus erat, auctoritatem maxime probabat[1]. Eorum instar quadripartitione ista utebatur, ut quis ageret, ubi et quando et quid ageret, in omni re exquireret[2]; animam in octonas partes dividebat[3], quarum principatum ea pars obtinebat, quæ cogitatio, ratio, ἡγεμονικὸν dicitur[4].

Quæ autem sit animi natura, quid sit anima et in homine et in mundo, satis Augustini verba declarant: « Varro arbitrabatur Deum esse animam mundi, quem « Græci *κόσμον* vocant, et hunc ipsum mundum esse « Deum; sed sicut hominem sapientem, quum sit ex « corpore et animo, tamen ab animo dici sapientem, ita « mundum Deum dici ab animo, quum sit ex animo et « corpore. Hic videtur quoquo modo confiteri unum « Deum; sed ut plures etiam introducat, adjungit mun- « dum dividi in duas partes, cœlum et terram, et cœ- « lum bifariam in æthera et aera, terram vero in aquam « et humum; e quibus summum esse æthera, secundum « aera, tertiam aquam, infimam terram; quas omnes « partes quatuor animarum esse plenas, in æthere et in « aere immortalium, in aqua et in terra mortalium[5]...»

Haud aliter in libro *De lingua latina* Varro duplicem dicit esse causam nascendi ignem et aquam, quæ sint

[1] *De Ling. lat.* passim. — Aug., *Civ. Dei.* VI et VII.
[2] *De Ling. lat.*, V, 11. — Aug., *Civ. Dei.* VI, 8.
[3] *De Ling. lat.*, IX, § 30.
[4] Ib. et *Civ. Dei.* VII, c. 23.
[5] Ex *Ant. rer. div.* in *Civ. Dei.* VII, c. 6.

quasi mas et femina, anima et corpus, « quibus junctis « cœlum et terra omnia exgenuerunt, quod per hos na-« tura[1].» Quibus quidem ex principiis illa defluebat priscas religiones liberius interpretandi ratio, qua utebatur idem in *Antiquitatibus rerum divinarum* et cujus exempla quædam in libris *De lingua latina* reperiuntur[2].

In ea igitur quæstione quæ de vita et moribus habetur, Varro Academiæ veteris partes palam amplectebatur, reipsa istam Antiochi Stoicam potius quam Academicam doctrinam receperat. In physicis autem e Stoicis totus pendebat; a quibus ne minima quidem in re Antiochum dissensisse credimus: ita ut in Stoicam sententiam, et Ælii et Antiochi auctoritate, Varronis animus impelleretur.

Quid Cicero magistrorum suorum unicuique debuerit perpendere tentanti, duo maxime obstant, quum hinc eorum fere nemo sectæ suæ peculiarem doctrinam et integram rationem retinuisset, illinc Cicero, in contrarias partes disputare solitus et illa probans quæ simillima veri videantur, non certam quamdam et constitutam philosophiam tutetur.

Quum ita Carneadis et Philonis institutum sequeretur, quum illam veterem Academiam hujus recentioris quæ lucem eriperet et rebus quasi noctem quamdam offunderet, vix dissimilem arbitraretur, Cicero longissime prorsus ab Antiochi sententia aberat.

Inde inductus est ut illum impugnaret, qui antiquam philosophiam et certa ejus dogmata proferens, et mediam et novam Academiam aggressus erat; inde ut eos

[1] V. § 57, sqq.
[2] *Civ. Dei*, VI et VII. — *De Ling. lat.*, V, 57, sqq.

Academicorum priorum et posteriorum libros conscriberet, ubi quæ erant contra ἀκαταληψίαν ab Antiocho collecta diligenter expresserat copiosiusque refellebat, ita tamen ut utramque rationem veram sibi videri, et se Antiochi quidem illa vehementer πιθανὰ interdum probare, his valde moveri fateretur [1].

Eam enim dat ei Academia licentiam, ut quidquid verisimillimum occurrat, id suo jure retineat. Quum igitur, liberior ac solutior, nullius disciplinæ legibus adstrictus sit, quid in quaque re, in quaque doctrina, maxime sit probabile, requirere et defendere studebit. Qua venia usus, recensendis conferendisque philosophorum placitis, præcipue dedit operam, ut ea quæ contraria, ea quæ communia admisissent, notaret et perpenderet, verisimilia quæque admitteret.

Nec aliter Antiochi auctoritas eum commovebat ut præstantissimas omnes disciplinas conferret et inter se componeret; quem quidem secutus Cicero, eos qui in Academia veteri cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserant, et eos qui Aristotelem et Theophrastum secuti, Peripatetici vocati sunt, rebus congruere, verbis paulum differre arbitratus est [2]: nec fuisse causam cur ab istorum superiorum institutione dissiderent Stoici; sed hos idem alio modo dixisse et, rebus non commutatis, immutavisse vocabula, ita ut inter eos non rerum, sed verborum discordia esset [3].

Antiochum etiam imitatus, nihil majore studio quæ-

[1] *Ad Att.* XIII, ep. 19, et *Acad.* II, 35.

[2] *Tusc.*, IV, 3. — V, 30. — *De Leg.*, I, 13. — *De Off.*, I, 1. — II, 2. — III, 4. — *De Orat.*, III, 18.

[3] *Tusc.*, IV, 3. — V, 11. — *De Leg.*, I, 13, 20, 21. — *De Fin.*, IV, 1, 2, 5, 6, 22, 28. — *Acad.*, I, 12.

sivit quam quæ de summo bono et vita beata disputata et præcepta essent; omnesque doctrinas, quæ summum bonum ita constituissent ut nihil haberet cum honestate conjunctum, improbavit et aggressus est.

Ita ceterorum sententiis semotis, duæ tantum restabant; quum enim Stoici nihil bonum præter honestum esse dicerent, Academici contra et Peripatetici, et cum illis Antiochus, multa quidem alia esse bona, sed honestatem maxime propter se expetendam censebant: quarum disciplinarum utramque vicissim Cicero et probat et insectatur; nunc metuit ne Stoici, quum tam fortiter dicant, soli sint philosophi[1], *Paradoxa* ludens scribit, in extrema parte quinti *de Finibus* libri, in quinto *Tusculanarum quæstionum* Stoicorum argumentis Antiochum impugnat; nunc in contrariam partem disputans, ipse *Paradoxa* refellit, et in quarto *de Finibus* libro, Antiochi auctoritatem secutus[2], Stoicam rationem improbat. Antiochum enim contra Stoicos dissentem audire nobis videmur, quum Cicero Stoicos dicit eadem sensisse quæ Academici veteres et Peripatetici, nec causam habuisse cur ab antiqua institutione desciscerent et nova exsisteret disciplina[3]; Stoicos non satis sibi constare, qui, a prima commendatione naturæ et ab appetitione rerum ad vivendum accommodatarum profecti, obliti autem quæ prima posuerint fundamenta et corpus subito deserentes, summum bonum in sola virtute constare volunt[4]; introduci virtutem nullo modo posse, nisi omnia quæ leget, quæque rejiciet, unam re-

[1] *Tusc.*, IV, 24.
[2] Pisonis Antiochii sententiam profert, c. 26, 27.
[3] C. 2-10. — Cf. *De Leg.*, I, 20, 21.
[4] C. 11-14. — Cf., c. 17 et 28.

ferantur ad summam[1]; Zenonem quum in prima constitutione a natura recessisset, his propositis tenuisse consequentia, sed ita falsa, ut illa, e quibus hæc nata sunt, vera esse non possint[2].

De vita autem beata, quæ ex his principiis consequatur, Ciceroni cum Antiocho sæpe et cum Aristo dissensio fuerat: « Nulla vita, aiebat Cicero, beata vita beatior excogitari potest, nec fieri potest ut virtus beatam vitam assequatur, si quidquam præter ipsam boni est, et sapiens beatus sit, quum tot sint et corporis et fortunæ mala. Hæc enim casus importat qui in sapientem potest incurrere. Qui igitur intelligemus sapientem semper beatum fore, quum vel in omnibus his malis uno tempore esse possit? Illud enim vehementer repugnat eumdem et beatum esse et multis malis oppressum? Constantius quidem hinc Theophrastus qui, quum multa præter virtutem esse bona statuisset, non est ausus elate et ample loqui quæ humiliter demisseque sentiret, hinc Zeno ille qui quum magnifice dixisset, nisi quod honestum est nullum esse aliud bonum, subjecit virtutem ad beate vivendum seipsa esse contentam[3]. »

Ita dum Cicero quæ maxime inter se cohæreant, quæ gravius et fortius dicantur quærit, inconstantiæ crimen objicit Antiocho et Deum dicit illum sibi videri qui nihil censeat deesse virtuti, homuncionem qui multa præter virtutem homini partim cara esse, partim etiam necessaria[4].

1 C. 15.
2 C. 19.
3 *Tusc.*, V, 8 sqq. — *Acad.*, II, 43. — *De Fin.*, V, 26 sqq.
4 *De Fin.*, V, 27, 28. — *Tusc.*, V, 8, 9, 11. — *Acad.*, II, 43.

Dum autem exquirit quid verum sit et quam recte hæc omnia dicantur, distrahitur ; tum Antiochi sententia probabilior, tum Zenonis videtur : quodcumque autem animum probabilitate percussit, id dicit[1]. Dabit igitur Antiocho, ut sit beatus semper sapiens; antiquæ enim philosophiæ fautores, a Socrate et a Platone profecti, tantam præstantiam in bonis animi esse dicunt, ut ab his et bona corporis et externa obscurentur, et ita licet eis gravitatem dignitatemque virtutis exaggerare et reliqua ex collatione conterere et contemnere. Carneadem memorat hanc controversiam ita judicare solitum esse, ut, quum quæcumque bona Peripateticis, eadem Stoicis commoda viderentur, neque tamen Peripatetici plus tribuerent divitiis, bonæ valetudini, ceteris rebus generis ejusdem, causam esse dissidendi negaret; et ipse scribit, Antiochi, ut videtur, ipsius verbis adhibitis: « Ut quæstuosa mercatura, fructuosa aratio dicitur, non si altera semper omni damno, altera omni « tempestatis calamitate semper vacat; sed si multo majore ex parte exstat in utraque felicitas; sic vita non « solum si undique referta bonis est, sed si multo majore « et graviore ex parte bona propendent, beata recte dici « potest[2]. »

Dum Cicero antiquam philosophiam ita cum Stoicorum doctrina comparat, non ad id tendit ut utramque per alteram evertat, sed eas inter se conciliare et sociare in animo ejus est. Itaque quum Stoicorum tuetur sententiam, Antiocho tamen aliquid vult concedi[3]; quum

1 *Acad.*, II, 43. — *Tusc.*, V, 11. — *De Fin.*, V, 26.

2 *Tusc.*, V, 11, 30, 31, 41. — *Acad.*, II, 43. — *De Fin.*, IV, 20, 21, 22.

3 *De Fin.*, V. — *Tusc.*, V.

Stoicos videtur impugnare, reipsa nihil illi antiquius est quam ut demonstret, iis, si modo verba ambitiosa recisa fuerint, eadem placuisse atque Academicis[1]; apud utramque sectam, non tam quæ disparia, quam quæ similia sunt quærit, ut «his utatur quasi concessis, quæ Stoicis communia sunt cum antiquis.»

Studet igitur Stoicæ modum et temperamentum quoddam adhibere disciplinæ, cui, quidquid immodici præ se fert, vitio vertit, nempe hanc gloriosam ostentationem in summo bono, immanitatem illam verborum et atrocitatem, has contortulas et minutas conclusiunculas nec ad sensus permanantes, has ratiunculas quibus dolor superbe definitur, non tollitur, horridum denique illud et incultum dicendi genus[2].

Ad Brutum scribit: «Nos ea philosophia plus utimur, «quæ peperit dicendi copiam, et in qua dicuntur ea, «quæ non multum discrepant ab opinione populari[3].» Et alias: «A Polemonis, ait, et Peripateticorum et An«tiochi finibus non facile divellor[4].» Ii sunt igitur magistri quorum auctoritati Cicero libenter innititur: Polemo ille cujus doctrina a Zenone extra modum prolata est; Panætius et Posidonius, et Antiochus imprimis a quibus Stoicorum disciplina ad priscam, unde orta est, philosophiam revocata atque sic temperata fuit.

His ducibus, instituit philosophiam moralem evasitque, ut ait ipse, magnus opinator. Una cum iis admiratus est Platonem, divinum illum virum, qui, etiamsi

[1] Itaque Cato, quum desinit disputatio quarta *De Finibus* : Memento te, ait, quæ nos sentiamus, omnia probare, ni quod verbis aliter utamur.

[2] *De Fin.*, IV, 9. — *Tusc.*, II, 12, 13, 18, 22. — *De Rep.*, III, 5.

[3] *Paradox.*, procem.

[4] *Acad.*, II, 45.

rationem nullam afferret, tamen auctoritate frangeret. Tum præclaros libros de officiis, de republica, de legibus tractantes scripsit: tum exclamavit: « Perturbatricem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arcesila et Carneade recentem exoremus, ut sileat: nam « si invaserit in hæc, quæ satis scite nobis instructa et « composita videntur, nimias edet ruinas : quam quidem « ego placare cupio, submovere non audeo[1].»

Quæ quidem verba satis indicant quam fuerit anceps Academicorum et Antiochi discipulus; sed si a prioribus didicit assensum prohibere nec opinari, ab Antiocho contra, quem sæpe audivit disputantem quænam vera essent vitæ instituta, eo est deductus ut dubius incertusque jam manere non posset; solumque sibi quasi suo jure vindicavit, et id quidem auctore ipso Antiocho, libertatem conferendi, objiciendi, disserendi atque eligendi ab Academicis usurpari solitam. Attamen hæc omnia præcepta de rebus ad morum disciplinam spectantibus, quum vera, tum magna, in quibus omnes omnium sententiæ convenire debent ne veritas atque natura prodatur, Ciceroni recentis Academiæ oblivionem attulerunt, et, magistra illa Platonis Polemonisque Academia, cujus amorem ei præsertim injecit unus inter omnes Antiochus, composuit supra dictos de moribus et hominum institutis libros, per quos et præstantissimis philosophis, et optimis humani generis præceptoribus haud impar esse visus est.

Antiochus ille cujus disciplina præstantissima inter Romanos ingenia informabantur, non minorem aucto-

[1] *De Leg*, I, 13.

ritatem alia in orbis parte, apud Alexandrinos istos, quorum urbs jam tum Græciæ artibus philosophiaque florebat, obtinuit.

Potamonem enim istum de cujus ætate et sententiis tam sæpe disputatum est, non multum post Antiochi mortem[1], ejus philosophiam renovavisse et partes tutatum esse credimus, teste Diogene Laërtio, qui, quum Potamonis doctrinam exponit, de ipso Antiocho loqui videtur[2].

« Eclecticam sectam, ait Laërtius, introduxit Potamo « Alexandrinus, qui ex singulis sectis ea quæ placerent « eligebat, *ἐκλεξάμενος τὰ ἀρέσαντα ἐξ ἑκάστης τῶν « αἱρέσεων.* » Quid autem aliud Antiochus, quid Cicero, qui omnes fere superiorum ætatum disciplinas inter se conferebant? Eos imitatur Potamo, et imo nomen illud usurpat, quo optime communem utriusque doctrinam designemus, *ἐκλεκτικὴν αἵρεσιν.*

« Potamo duo dicit esse criteria veritatis, unum (*ὑφ' « οὗ γίγνεται ἡ κρίσις*) *τὸ ἡγεμονικόν,* alterum (*δι' οὗ*) « *τὴν ἀκριβεστάτην φαντασίαν.* » Stoicorum hæ sententiæ, Stoicorum hæc omnia verba, quos quidem de criteriorum numero alios aliter sensisse constat. Chrysippo enim duo placebant criteria, *αἴσθησις* et *πρόληψις;* Boëtho quatuor, quorum e numero *νοῦς* et *αἴσθησις;* quidam etiam ex veteribus Stoicis *τὸν ὀρθὸν λόγον* pro criterio habuerant. Quid autem aliud Potamonis illa *φαντασία,* nisi commune omnium Stoicorum criterium (quod etiam *αἴσθησις* dictum est)? quid aliud ejusdem

[1] Ne committamus enim, ut iis assentiamur, qui Potamonem eclecticum hunc eumdem esse juvenem volunt, cujus tutelam a Plotino susceptam fuisse memorat Porphyrius. *Vit. Plot.*, § 9 et 11.

[2] I, 21.

illud *ἡγεμονικόν*, nisi, mutato nomine, *νοῦς* et *ὀρθὸς λόγος*, et illa vis interior, qua ad res percipiendas intendente, efficiuntur notitiæ rerum et anticipationes seu *προλήψεις*?

« Quatuor esse autem principia omnium rerum, *ἀρχὰς* « *τῶν ὅλων*, volebat Potamo; *τήντε ὕλην καὶ τὸ ποιοῦν* « *ποίησίν τε*[1] *καὶ τόπον*. » De his duobus principiis quæ priores partes obtinent, hinc materia seu quod efficitur, illinc causa efficiente, quum omnes Stoici consentirent, alia nonnulli adjungebant, quorum de numero ac nomine inter se differebant. Quare Potamo quum *qualitati* et *loco* secundas partes assignat, in his etiam Stoicos sequitur et Antiochum ipsum, qui, Varrone teste, *qualitates* esse dicit, id est *ποιότητας*, quas vis efficiens ex materia huic se præbente expressit[2]. Quæ autem de *loco* disserebat Potamo, profecto traxerat ex illa doctrina quæ nihil nisi corpora admittebat, ex illo Antiocho qui nihil esse censebat quod non alicubi esse cogeretur. *Locus* idcirco referebatur etiam in illa Varroniana quadripartitione quæ multam quidem similitudinem habet cum Potamoniana ista quatuor principiorum enumeratione.

De logicis igitur et physicis a Stoicorum ratione quam Antiochus etiam secutus erat, Potamo non dissentiebat.

« Finem vero ad quem omnia referuntur, ait Laertius, « dicebat esse vitam omni virtute perfectam, non absque « corporis naturalibus externisque bonis[3]. » Hæc autem

[1] Recentiores Laërtii edit. : ποιότητά τε. — Ib. ἐξ οὗ καὶ ὑφ' οὗ, καὶ ποίῳ, καὶ ἐν ᾧ.

[2] *Acad.*, I, 6 et 7.

[3] τέλος δ'ἐφ' ᾧ πάντα ἀναφέρεται, ζωὴν κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν τελείαν, οὐκ ἄνευ τῶν τοῦ σώματος κατὰ φύσιν ἀγαθῶν καὶ τῶν ἐκτός.

verba, quæ referre me juvat, nonne ad Antiochum ipsum videntur pertinere, qui quum virtutem judicaret absolutissimum bonum et maxime expetendum, ita tamen summum bonum constituit, ut ex bonis corporis nec non externis expleretur?

Ergo in omni doctrina Potamo Antiochum secutus est : quid autem mirum quum meminerimus Antiochum Luculli comitem Alexandriæ commoratum esse, multumque, præsentibus doctis compluribus, in hac ipsa urbe in qua postea floruit Potamo, disputavisse?

Suidas autem monet Potamonem et ante Augustum et sub Augusti imperio vixisse[1]. Augustus quidem sexaginta tantum annis post Alexandrinas illas disputationes, quadraginta vero post mortem Antiochi, principatum obtinuit; nec ideo verisimile est Potamonem Antiochi ipsius auditorem fuisse. Sed ab Aristone Peripatetico vel Dione Academico, Antiochi, ut diximus, familiaribus et auditoribus, magistri doctrinam potest ac videtur accepisse.

Hinc ἐκλεκτικὴ illa philosophia; hinc erat Potamo Platonis amator, cujus libros *de republica* commentariis instruxerat. Sane multum ejus exemplum valuit ad renovandum antiquarum doctrinarum Platonicæque philosophiæ studium; constat tamen Antiochum veterem illam Academiam potius laudavisse quam cognovisse : ita certe et Potamo, qui quum eclecticum se profiteatur, Stoicorum auctoritati, cum Antiocho ipso, maxime innititur.

Potamo igitur non nisi immerito Alexandrinæ istius

[1] γεγονὼς πρὸ Αὐγούστου καὶ μετ' αὐτοῦ. Ita legit Schweig.; in edit. autem μετ' αὐτὸν sensu carere videtur.

philosophiæ, quæ post duo sæcula nata est, parens a quibusdam dictus est; hanc autem disciplinam, qua ab Antiochiis informatus erat, secutus est, et, Antiochi hæreditate accepta, ejus doctrinam, eclecticam ex eo tempore magis proprio nomine nuncupatam, Alexandriæ renovavit.

CONCLUSIO.

Quid superest, nisi ut ea quæ de Antiochi doctrina, de fontibus e quibus illa effluxerit, de vi et auctoritate quibus apud tot eximios viros valuerit, copiose disseruimus, nunc collecta breviter absolvamus; et ita hoc philosophiæ genus perpendere enitamur?

Antiochus, ut ceteri ejusdem ætatis philosophi, scientiam ipsam vix alicujus pretii esse censebat. Physicæ igitur minime studuerat et de ista philosophiæ parte Stoicorum opiniones, delibatas tantum, retinuerat. In logica etiam eorum sententiam secutus, illa utebatur, non ad perquirendam et proferendam veritatem, sed ut ea exponeret et confirmaret quæ pro veris receperat, ea autem, quæ contra ab Academicis disputabantur, refelleret.

Animadvertit enim doctrinam de moribus tum assensionis retentione omnem everti, tum, si verisimilibus tantum nitatur, cum his ipsis semper incertam fluctuare. Qua de causa ab Arcesila et Carneade et a Philone ipso descivit, ut qui, longis opinionum erroribus jactatus, constantem statum fixumque consilium vitæ esse cuperet et aliquid certi ad motus animi componendos quæreret.

Eum statuit esse finem philosophiæ ut ad summum bonum vitamque beatam perducamur, nullamque exsis-

tere philosophiam nisi quæ, bene constituta, certa quædam sapientiæ dogmata confirmet.

Quum autem has doctrinæ partes quibus ipsa innititur morum disciplina, logicam nempe et physicam, despiceret, et propterea propriam sibi morum disciplinam instituere non posset, ad eam necessitatem adductus est, ut aliorum auctoritati se subjiceret, traditamque acciperet doctrinam.

Scientiæ quidem inconsultus contemptor, dum præcepta ad vitam firma, stabilia, hinc et illinc, sine controversia, fere sine delectu, recipit, quamdam Stoicorum cum Academicis veteribus et Peripateticis consensionem sibi fingit. Veri enim cupidus et studio partium vacuus, pristinas sectarum lites componere malebat quam renovare ; earumque diutius dissidentium sententias ad unam reducebat, ut, variis doctrinis quasi coalescentibus, absoluta exsisteret morum disciplina, cujus dignitas et auctoritas consensu præstantissimorum omnium philosophorum augeretur.

Itaque dum desideratur in eo philosophicum illud acumen et religiosa judicis omnia attente perpendentis fides, saltem in eo eminet certioris disciplinæ et bene constitutæ sapientiæ studium, quo quidem ejus eclecticum philosophandi genus quamdam habet excusationem.

Miramur certe quum Noster, quanquam neglecta scientia, Platonis tamen et Aristotelis auctoritatem proferre, seque tam nobilium philosophorum hæredem profiteri ausus fuerit, neque intellexerit quantum ab eorum sublimi perfectaque ratione distet. Eum enim Stoici in suis castris, non solum de physica et logica, sed et de moribus disserentem retinuerunt.

Eadem igitur ætate qua Panætius et Posidonius et jam paulo facilior illa Stoicorum cohors Academicos veteres et Peripateticos invocare non dubitabant, ipse Academicus cum Stoicis in pactionem venit, et Zenonis disciplinam, molliori tamen philosophia temperatam, admisit.

Quum ergo Antiochus, doctrinam omnem a Platone et ab Aristotele præcipueque a Stoicis mutuatus, nihil proprium habuerit, nihil novi protulerit, de Antiochi philosophia judicium ferre suscipienti, non solum Antiochi tenue nomen, sed Academia ipsa et Lycæum et Porticus, splendidissima philosophiæ antiquæ lumina, occurrerent.

Et sane maxima laus illis servetur, ut æquum est, qui ætatem suam quasi præcurrentes, *vitæ lampada* tradiderunt, et arcana abditaque generi humano in lucem ediderunt; illi tamen omni honore non destituendi sunt, qui ceteris studium philosophiæ amoremque sapientiæ injecerunt. Hoc satis sit Antiochi gloriæ, qui quidem et de philosophia et de omnibus iis, quos aut auditores aut familiares habuit, bene profecto meritus est. Nam quidquid superior ætas sive ad excitanda ingenia splendidum, sive ad informandos mores utile invenerat, eximius ille antiquitatis amator, pio tanquam animo excepit, et, peculiari Academiæ eloquentia adornatum, hinc Alexandrinis veteris Græciæ discipulis, hinc Romanis novam sibi gloriam vindicantibus, præclaram hæreditatem tradidit.



INDEX CAPITUM.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VIII Kal. Jun. ann. M DCCC LIV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J. VICT. LECLERC.

Typis mandetur,

Academiæ Parisiensis Rector,

CAYX.

